

$\pi n$   
3126





QK. 3, 5.  
H. III, 5.

II n  
3126

HENRICI ROSLÆ,  
Nienborgensis Saxonis,  
**HERLINGSBERGA:**

SIVE

Poëmation de bello inter HENRICUM  
Mirabilem, Ducem Brunsvicensem & Lunæbur-  
gensem, ac confœderatos Saxoniz Principes gesto  
ob arcem HERLINGSBERGAM  
ANNO MDCCXXCVII.

*Ante annos plus minus CCCLX. in media barbarie  
non ineleganter scriptum, nunc primum luci datum,*

cum NOTIS

JOAN. HENRICI MEIBOMII.



LUNÆBURGI,

Typis JOHANNIS & HENRICI Sterniorum,  
ANNO MDCCCLII,

22

1124







MAG.<sup>co</sup>, NOBIL.<sup>mo</sup> ET CONSULT.<sup>mo</sup>

VIRO,

DN. JOANNI Schwarz-  
kopff / JCto, & Seren.<sup>mi</sup> Principis AUGUSTI,  
Ducis Br. & Lun. Cancellario, & Con-  
filiario intimo,

Domino, Fautori & Amico suo plurimum venerando  
& amando.



*H*ac tandem, Vir nobilissime, quod diu  
facere meditatus sum. Adfero Poemationem  
ad Mag. T. de pugna ad castrum Her-  
lingsbergam inter Principes Saxonie ali-  
quot depugnata. Habuit id parens meus Henricus  
Meibomius ab Henrico Petreio, JCto clarissimo, &  
Consiliario olim Guelphico. Auctor & se nominat, &  
patriam indicat sub finem opusculi. Idem enim sibi no-  
men esse scribit, quod Duci Brunsvicensi, Henrico  
Mirabili seu Moroso, de quo potissimum agit: cogno-  
mine vocari Roslam, natum Nienburgi, quod opi-  
dum est cum arce Ducali, ad Visurgis fluminis ripam,  
Ducibus Brunsvicensibus & Luneburgensibus parens,  
bellisq; his civilibus, nunc sopitis, non parum nobili-

A 3

tatum:

tatum: & quod hoc nomine afferre sese præ aliis queat,  
quod natales in media barbarie dederit tam felici in-  
genio. Talis enim Auctor hic noster fuit, qui incusare  
seculum suum potuerit, & si in nostra tempora incidis-  
set, unus procul dubio non è vulgo fuisset eruditorum.  
Nam & ingenium ipsi non defuit, & Poëtas veteres  
sedulo legit, & non infeliciter subinde imitatur: &  
Spiritu valet poëtico, quo nunc promptè assurgit: nunc  
tamen vicissim delabatur: Præterea & fictiones habet  
poëticas non inelegantes, ac sola seculi infelicitas, quæ  
ipsum altiora conantem depressit. Librarius verò in-  
doctus fuit & supinè negligens: unde textus aliquando  
corruptus, & in eo vulnera curam non admittentia.  
Titulus opusculo quum deesset, Parens meus dedit,  
& Herlingsbergam vocavit à loco ubi pugna com-  
missa: non incommode, ut opinor. Nam & Lucanus  
— Si parva licet componere magnis,  
libros suos Pharsaliam inscripsit à loco, ubi pugnatum:  
& Guntherus nostras Poëmata sua Liguinum, à  
Liguribus, qui cum Friderico Ænobarbo negotium fuit,  
nominavit. Vellem autem memoratus Parens meus  
ipse Poëmation hoc in publicum emisisset & illustrasset:  
quod diu est quod se facturum promisit. Verum fato  
præreptus, prestare quod pollicitus erat, non potuit.  
Quia

Quia tamen meum esse duco, Parentis fidem liberare,  
nec pati, ut diutius civis hoc suo careat Saxonia, Aucto-  
rem in manus sumpsi, & recensitum in publicum pro-  
dire jussi. Addidi mantissæ loco Tiderici Langen, Ca-  
nonici Eimbeccensis, Saxoniam carmine descriptâ:  
Sed qui & ætate, & eruditione & metronostro Auctore  
longè est inferior: ex quo tamen non secus, atq; ille olim  
ex stercore Ennii, gemmulam depromas. Unde etiam  
hac ipsâ in tractatione ejus operâ & testimonio non unâ  
vice fuimus usi. Quòd verò, Nobil.<sup>me</sup> Domine, Poë-  
mation hoc Mag. T. nomini sacrum esse volui, ejus  
rei causas sanè habeo complures. Nam & necessitudo,  
quæ inter Mag. T. & Parentem meum jam olim in-  
tercessit, efflagitare id videbatur: & postulabat ami-  
citiâ nostrâ, quæ hereditario quasi jure in me devoluta,  
ab ipsâ juventute in hoc senium nostrum, quod uterq;  
nunc degimus, cum tempore ita auxit, ut solvi nisi mor-  
te nequeat. Una tamen est causa potior & maxima,  
ob quam scriptor hic tibi debetur, summa M. T. in  
historia superiorum seculorum de antiquitatibus patriæ  
cognitio, & in iis eruendis curiosa sedulitas. Quan-  
quam enim, Vir Nobil.<sup>me</sup>, maximum & Politici &  
Jcti nomen impleas, & tum Reip. tum Justitiæ cla-  
vum modereris,

Et tot sustineas ac tanta negotia solus:  
Utrique tamen muneri obeundo nihil magis necessarium  
esse rectè judicas, quàm historia & antiquitatum patriæ  
notitiam. Quippe qui optimè noris, quàm non vulga-  
res Feti, ab historia cognitione minus instructi, in ma-  
ximis principum negotiis aliquando errarint, & viam  
palantes quæsierint veri. Non gravare igitur, Nobil. me  
Dn. si Auctor hic, in quo non pauca patriæ antiqui-  
tatis superant vestigia, tuis auspiciis in lucem se tollere  
audeat, si te auctorem laudet, si patronum & defenso-  
rem sibi sumat. Esto ille pignus & testis amoris & ob-  
servantiæ meæ in Mag. T. quam bono publico diu servet  
sospitetq; maximus omnium Monarcha Deus. Dabam  
Lubecæ, Kal. Nov. Anno clc lcc lli.

Nobil. Magn. T.

addictissimus

JOAN. HENRICUS MEI-  
BOMIUS.

HEN-







HENRICI ROSLAE,

Nienborgensis Saxonis,

# HERLINGSBERGA.

**G**entis Saxonica mens gestit bella referre,  
Congressumq; Ducis: clemens Deus annue  
Copia scriptorū fecit te Græcia notam, (coeptis.  
Qui decantarunt miris tua facta Camœnis.

Nequaquam regnis aliis majora patraſti,

Facundi sed te celebrem fecere Poëtae.

Carminibus vivitur, & eisdem gloria crescit:

Carmina dant famæ nomenq; decusq; perenne.

Fortia qui faciunt laudandi carminibus sunt:

Nec tu laudis eris expers, qui fortia scribis.

Unde sedet menti, gens famosissima, de te

Scribere, Saxonica, nullis es in orbe secunda

Terris: ergo decet, ut cunctis publica fias,

Lectores supplex veniam polcendo benignos.

Est ignoscendum studiosis, immo favendum.

Est plenus campus, longoq; situ sinuosus,

Primates terræ quo colloquium tenuere.

Vna Ducem mens est sibi demolirier unum:

Hunc compromittunt se bellis obruituros.

Divide tres hostes, per pacem, prælia, treugas.

Ardua qui nimium prensat, recidivat ad imum.

Scire

Scire potest aditum quisquam, sed nemo regressum.

Juratur, bello ne quis se subtrahat astu:

Edictu, quod desertor sit publicus hostis.

Nullaq; non spondent sociales oppida dextras,

Præsidium voto præbendo per omnia fidum.

Talia Legatos mittunt mandata ferentes:

Primates, Satrapas, simul in commune rogare,

Vendat ut his Herlingenberg cognomine castrum,

30. Æstimet & proventum, vectigalia, censum:

Cuncta redempturos nam spondent ære repenso.

Asseverantes, quod eis promiscua turba

Assiduis proclamarit miserisq; querelis

Plangendo municipium dispendia ferre

Id doti terræ: turbari seq; suosq;

Indignaturos alioquin nosceret ipsos,

Ni cito primorum dictis parere fatetur.

Postquam Legati finem fecere loquendi,

Percontatur eos Dux imperterritus, anne

40. Dicere plura velint? respondent omnia fatos.

Ille minus, quam dura silex, sermone movetur:

Tum bene conjectans, quod ei nova factio surgat.

Mens est quippe viri prænostica sæpe futuri.

Paullo metitur, placideq; subintulit ista,

Quam fors distribuit terram mihi, nostra manebit.

Quicquid stagnantem Rhenum concluditur inter,

1 Oceanumq; mare, mihi servit, & ultima Thyle,

Hujus respectu castri, quod & æstimo tanti.

Hac summa licitor, à vestris illud emendum:

Hunc

HERLINGSBERGA.

Hunc fore contractum facilem non æstimet ullus.

Ipsi quod dicunt, oneri nostrum sibi castrum:

Præsto culpa sibi, qui fœdus cassat amici.

Ignorante queunt fieri me plura: sed istam

Excusans equidem tegit ignorantia labem.

Invoco te testem, iudex altissime, quòd vi

Enormi nullos oppressi, ni foret hostis.

Pacem, jura, fidem, complector non minus ullis.

Sed vetus hoc verbum pensans existimo verum:

Tam bene nullus agit, quòd cunctis complacitum sit.

Cogat an ad raptus me pauperies? sed abundo.

An mea sævitia? sed enim novi misereri.

Cæcet avaritia? sed summi penso timorem.

Quæ proponit homo, Dominus disponit in alto.

Posthæc ipse manu Legatos ducit in aulam:

Curat honoratos, epulis reficitq; perunctis.

Legati redeunt, hoc responsum referentes.

Ast ubi verba Ducis acceperunt Basilei,

Mane veredariis ibi defidant sibi misis.

Pro se quisq; locus ad opus belli studiosus:

Urbibus in cunctis fervet labor, hæc novat enles:

Fabricat hæc arma: clypeis studet illa parandis;

Arcubus & pharetris, telis: Sed curribus illa:

Hæc conis galeas: phaleris polit illa jugales.

Castra per & vicos frumenta cibiq; parantur,

Atq; exercitibus stipendia larga pluuntur.

Præsertim satagunt agiles formare secures,

Usibus & miris laxantur ubiq; metalla,

HENRICI ROSLÆ

- Et Chalybum massæ, quas extudit ignis & ardor.  
Vomere cassus ager non reddit vota colonis.
80. Non hic unigena fabricatur machina: nomen  
Hæc librilla tenet, quasi saxea pondera librans:  
Obtinet illa suis: sed hirundinis hæc: stat a felli  
Illa vocata nota: quædam fit ab ariete dicta,  
Ex re nomen habens, altis æquè alta minatur  
Turribus interitum: quoniam supereminet ipsa.
- Præful Sifridus Hildensemensis adunat  
Fortia castra satis & terribiles equitatus.  
Magdeburgensis incedit postmodo pubes.  
Hermannus de Blankenborg, vir idoneus, æquus;
90. Qui doleat sanè cùm sævus cogitur esse:  
Jam successurus cathedrali dignus honore,  
Vallatus vegetis procescit in arma vasallis.
100. Otto Saxonicus Dux instaurasse catervas  
Vilus Alexander, vicisset quemlibet orbem:  
Hoc Electore gaudet Respublica Rege.  
Adstant conspicui Ducis Henrici duo fratres,  
In fratremq; vehunt animosos porro manipulos,  
Martius Albertus juvenis, Wilhelmus ephēbus.
- Sunt desolanda sibi colluctantia regna,  
Revera censum nutrit concordia parvum.  
Amplior amplificis Luneburgensis juvat hoc Dux,  
Nec genus expendit commune, gradumq; secundum,  
Alares quin exhibeat bello metuendos,  
Marchio magnanimus, signatus arundine frontem,  
Fortunatus honos, immensaq; gloria terræ,

Otto

HERLINGSBERGA.

Otto pater patriæ, cui tellus obstupet omnis  
 Brannenburg: cuius est inclyta notaq; fama:  
 Cujus erant proprio condigna volumine gesta:  
 Educit validæ fortissima pectora pugnae.  
 Unicus Henrico tremor hinc patruus suus Otto,  
 Totus Christicola, totus pietatis amator,  
 Marchio Brandenburgensis magnanimus, ipse  
 Emicat hunc juxta juvenum grege fultus amœno:  
 Quem suus æquiparat virtutibus, indole, frater  
 Marchio, cui nomen Albertus. clarior armis  
 Anehalt princeps Otto tu conglomeraris.  
 Bernhardus de Berenborg multis latus ambit,  
 Nec sibi parva phalanx, aspernandusq; satelles.  
 Albertum stipat equitum de Kötene coetus.

Saxonix nemus est viginti millibus & sex  
 Porrectum, dicit quod Teutona lingua vocans Hart,  
 Esse potest majus, sed non præstantius ullum,  
 Silvis, sive feris: hoc autem dives habetur,  
 Quod municipiis & pagis pullulet. Hart est  
 Hinc ideo dictum, quia durius omne, quod illud  
 Educat, est aliis. Genus hoc hominum neq; ferrum,  
 Nec mortem metuit, conceperit ut modò bilem.  
 Hinc conferta ruit furialis & horrida turba,  
 Quam belli capita tredecim duxere Barones, (borne,  
 Blankenborg, Reinstejn, Scrapelovv, Mansfeldt, Hake-130,  
 Arnstein, Valkenstein, Stoleberg, Werningerod, Hon-  
 Querneford, Hademersleve, Barbuje vocati, (stein,  
 Mos est, principibus terræ bellantibus, istos

Certatim Dominos auro conducere multo:  
Utpote queis faveat victoria semper amica,  
His desiderium belli fuit omnibus unum.

Urbes munitæ veniunt armis opulentæ.

Æstuat inter eas magis, & Goslaria bellum  
Ardet: Brunsvvick illis fuit auxiliatrix.

140. Quippe sui Domini deliro limite fulcos  
Confundunt, ira discordes atq; furore.

Quomodo gens rabiem florens devenit atrocem?

Quò ruitis, stirps regalis, reges genitura?

Cur non deterret vos intestina ruina?

Impendent, si nescitis, discrimina vobis.

Per loca pax fruges, pestem sublestia sparget,

Julius in magnum sic cum consurgeret orbem,

Pompeius reges Orientis movit: in ipsis

Civicus interiit exercitus, & lue tristi

150. Æmathiæ campos Romanus inebriat ensis.

Regis & augusti virtus quæ qualis Adolphi

Sit patet: ecce feris Saxonibus appropinquavit:

Auctus eis cum Cæsario sublimis honore.

Pestis certe \* fetus \* in pr \* fr \*

Robora tanta virum non confregere Leonem.

Intrepidiq; Ducem cordis, quin obvius iret,

Molibus & moles opponeret, & memoratu

Rem dignam, nunquam per secula cuncta tacendam,

Jactet magnanimo se Veronis Tiderico:

160. Clarior Henrico Duce Brunsvvick facta profectò,

Scilicet ærumna fit famæ pleraq; causa.

Hectora quis nosset, si non ab Achille perisset?  
 Si non errasset Ithacus, non cognitus esset.  
 Et te naufragium facit hoc, Dux inclyte, notum;  
 Nubila fortuna tibi fert præconia magna.

Sic Macelabæus, patriæ legumq; favore  
 Succensus, cuncta ruit in discrimina præceps;  
 Oblitus dulcis vitæ, caræq; salutis,  
 In mortem posuit animam, salvaret amatam  
 Ut gentem, regum superans irasq; minasq;  
 Castro munito satis, adventante catervâ  
 Vallum cingente, Dux dixit, obsidione,  
 Hæc secum: num me totiens impune laceffet  
 Conjurata manus? num me ditione propellet  
 A patria? num cuncta sibi mea vendicet ipsa?  
 An non arma mihi, non miles & æra supersunt?  
 Deficit an animus? an in sumptus manus ægra?  
 Sæpe rubum modicum vidi subvertere currum.  
 Non totiens fieri placet heriscindia mecum.  
 Acer in adversum terram pontumq; ciebo.  
 Accidior justè? potius premerent alienos,  
 A notis hunc quis potuit sperare dolorem?  
 Ille fide pravus, hanc qui non servat, amicus.  
 Compertum sit eis faxo, quantæ mihi vires.  
 Volvitur in cœlis Phœbe, Fortunaq; terris:  
 Præ foribus nostris non semper calva sedebit.  
 Regnator cœli faveat mihi, conditor æqui:  
 Non erit his tutum satis irritasse quietum.

Talia flammato secum Dux ore volutans



190. Accersit Comites, Primates, atq; Quirites.  
 Nec sibi sufficere ratus has, quibus imperat ipse,  
 Indecorem quoq; se, nisi totis obvius iret  
 Viribus, & terris propriis depelleret hostem.  
 Pro caris natis, pro conjugē, proq; colonis,  
 Pro libertate, bellis ultroneus optat  
 Vincere vel vinci. Coëunt excita Juventus  
 Virtutis validæ; transmittis Rhene bicornis  
 Electos armis proceres, ad prælia doctos:  
 Quosq; viros Wesera propior circumfluus ambit.
200. Vosq; tulistis opem manus imperiosa Turingi,  
 A socero missi, partem Ducis acre tueri.  
 Misina mittis opem, mittis licet Arcia pubem:  
 Ambæ porro bonæ; tu fundere tela, vibrare  
 Tu gladium, studioq; foves Ducis utraq; partes.  
 Fundit, quidquid opis habet Ouacra, tu quoq; Leina:  
 Nec se subtraxit nec Ferda, nec ardua Bremis,  
 Subsidium portans, & idonea pectora pugna.  
 Westvali properant, & fida juvamina portant.  
 Waldeccæ magnæ Comes alacer auxiliatur.
210. Dux Brunsvicensis opibus defenditur istis.  
 Nullos est strepitus Holsatia sola secuta,  
 Fortibus ipsa viris elegantissima quamvis.  
 Nominis ergo memor, & honoris magnus aviti,  
 Dux Henricus agit in agros, in bella paratos  
 Mœnia, quos rerum dominos expaverit orbis.  
 Henricus regnat qui primus Teutonicus Dux:  
 Otones tres qui regni sublimia scandunt:

Qua.



Quatuor æquivocum sibi met qui nomen habebant:  
 Et tu Lothari, tu victor & Otto Philippi:  
 Quiq; rebellavit Karulo Wedekindus olim Rex: // 220.  
 Et Ducis unius virtus, quem (si modò famæ  
 Credimus) ipsa fuit feritas venerata leonum,  
 De postliminio natale solum repedantem:  
 Hinc hodieq; leo seculo monet acta vetusto,  
 Fusilis egregia qui Brunus Wikstat in urbe.  
 Qui multis errans, terris & fluctibus, annis,  
 Vidit multarum prorsus miracula rerum:  
 Brunonis recolit, qui fundator fuit urbis:  
 Ejus & Ottonis fratris, qui primus ad arcem // 230.  
 Eligitur regni, licet illud spreverit ipse:  
 Cujus erat natus Henricus Saxonicus Rex.  
 Magnifici Ducis unius reminiscitur inde  
 Acre rebellantis auguste tibi Friderice.  
 Succurrit patris Alberti memorabile factum  
 Principibus tribus arma moventis, eosq; fugantis:  
 Quodq; sit à parvis injuria sæpe repulsa.  
 Te Dux egregie, te princeps inclyte, famæ  
 Quippe tuæ nullus horum præjudicat actus.  
 Pande Dei facta mens, regis mystica cela,  
 Ecce videre datum sancto fuit Anachoritæ, // 240.  
 Excelso regem solio residere supremum.  
 Millia sanctorum & circumstipare sedentem,  
 Hic pro supplicibus interpellare videbat:  
 Canitie patres, habitu juvenes reverendos:  
 Atq; puellarum matronalemq; pudorem

Formidare suis: inter quas virgo coronam  
 Regalem capite demisit, seq; profudit  
 Regnantis pedibus: quod non tulit ipse, sed alto  
 Exfiliens solio (nam mater erat sua) blando  
 250. Sustinet affatu: pete nunc, dulcissima, dicens,  
 Si quid habes, natum tibi fas abdicere non est.

Tunc sic orsa loqui: mitissime, te meminisse  
 Arbiter exoro, fidei rudimenta beatæ  
 Cultus honosq; tuus quod creverit atq; inolevit  
 Baronum populus, Ducis Henrici genitorum  
 Cura promotus: quot celfos Pontificatus,  
 Ecclesias quantas, quot claustraq; quanta dicarim.  
 Hęc meminens, parcas stirpi, gemimenq;, quod illo  
 Stipite descendit, calcari non patiaris.  
 260. Non minor Henrico devotio, quam tuit illis,  
 Mundi cuncta mala miseratio diluit alma.

Desiit. inde Deus, memini placidissima, dixit:  
 Non sunt ulla bona, quin sint sibi præmia certa,  
 Sed modò jam notum cunctis fieri volo scitum:  
 An bona correptus postponens deserat, & si  
 Virtutis pigeat: ut perstantem, tolerantem,  
 Gratia fertilior commendet & ampliet ipsum.  
 Plorandus magis est faciens mala, quam patiens hæc.  
 Rectoris culpâ plebs creditur, & vice versâ.  
 270. Dono nunc miserans, sed nunc res tollo secundas.  
 Parce metu genitrix, tibi do, quòd sis sibi tutrix.  
 Justorum semen quis vidit quærere panem?  
 Arguo plerunq; quos diligo, quosq; gravare

Hos

Hos relevare queo. reprimam fluctus hyemosos

Henrico. Visis his expergiscitur ille.

Constituens sortem belli tentare, sagaci

Plurima mente gerit veritus, & omnia tentat.

Dux animare volens armatos: egerat astu,

Nuncius ut missum se diceret in manifesto,

Quòd fratres gemini sibi clanculo fida pararent 280.

Certiùs auxilia: primi quòd in hostibus ipsi

Non molirentur contraria, sed fore cautos.

A Duce dirigitur rursus, qui diceret hosti,

Nunc pugnaturum; jam nunc properare paratum.

Pene per hebdomadas hæc fiunt continuas tres.

Exspectant primò, sed diffidentia pigros

Fecit, habentq; ratum, non hunc committere pugnam

Quare securi, non ausurum reputantes,

Indulgent omnes epulis propensius, atq;

Parcius excubiis instant: non parvaq; turba 290.

Ad sua se recipit: rarefcit bellicus ordo.

Præsciis instantis belli Dux atq; tumultus,

Secedens in conclavi, clausoq; recessu,

Ad consueta precum conversus munia, fundit

Vota precesq; pias, & te suffragia poscit

Utile perfugium mater Christi miserorum:

Quæ sibi devotam mentem non abdicat unquam.

Sollicitat precibus cœnobitas ac eremitas

Atq; monasteria: quo per Missas sibi placent

Astrigeri dominum cœli, quibus ipse profectò 300.

Tutor erat magnus & inexpugnabile scutum.

C

Quan-



Quantus amor sit heri, monstrat dilectio servi,  
 Eripiunt morti multos suffragia Missæ,  
 Cujus in omne malum tibi fert auditio vallum.

Deinde fide plenus prohibens vetat Ecclesiarum  
 Raptus: austerè jubet hostibus esse feroces,  
 Ac loca sancta suos mansuescendo venerari.

Summa timere Deum sapientia! reddere cultum  
 Augustine tuis, Francisceq; , Paulleq; servis!

310. O dignis quantum donat cultoribus auri!  
 Ut carnale metat volo, spiritualia qui dat,  
 Semper homo pavidus est felix, estq; beatus:  
 Sed mentis duræ mortis mala fert futurae.

Henrico sed enim haud temerum vel inutile visum  
 Hortari coetum: collectas fame tali  
 Compellat turmas: acer eliquat ore disertus.

Est inconvulsus nobis audacia murus:  
 Nullus eum munit, istam quicumq; relinquit.  
 Quid faciat, quid agat, quem diffidentia turpat?  
 320. Cæsus non cædens nimis est, quis nesciat? acris  
 Hostibus accedet vestrâ formidine virtus,  
 Audaces hosti per-valde sunt metuendi.  
 Si vos audetis, Deus & fortuna juvabit.  
 Venit summa dies, moriamur, nos tueamur,  
 Vulnera, jacturam, donis opibusq; rependam.  
 Hanc, quam non reddam, dextris defendite vitam,  
 Qui cadit, hujus ero natis obnoxius ultro;  
 Sed tergum danti: non convenit omnia fari,  
 Este viri fortes, ne sitis honoris inermes:

Tu

Tu verò abscede, quisquis vis todinus esse, 330.  
 Armato pavido potior est tresfis agalo.  
 Cur infirmamur spe, cùm nostrum tueamur?  
 Vincit, pugillo claudens Deus omnia, paucis.  
 Spes erit hæc mecum: Deus est, qui iudicat æquum.  
 Nil tacit excubitor, nisi sit custodia factor.

Hac sic ille tenus, cui respondere phalanges:  
 Ultima, Dux magne, tecum mens certa subire  
 Est nobis: verba tua sunt plena rationis.  
 Nunc, ope de nostrâ nihil ambiguus, pete pugnam.

Laudat Dux animos, verbum probat, atq; favore 340.  
 Tirones solenne creat mox ipse novos,  
 Quos & muneribus animis audacibus implet.  
 Est dare jucundum largo: non posse, gemendum.  
 Spes hinc orta viris, timidis audacia crevit.

Urbs est Eimbeke, quam fortes tenuere catervæ,  
 Quæ Ducis imperio communiter arma capeflunt.  
 Metantur castra lituo præcone sonante:  
 Ordine centuriæ procedunt collegiatio.  
 Sole repercussi clypei nova lumina fundunt,  
 De muris pavida fulgentes ærè maniplos, 350.  
 Despiciunt matres, & prospera corde precantur.  
 Si non sint homines, quid pulcri mundus haberet.  
 Erumpunt portis acies aurore decoræ.

Ut verò videre Ducis vexilla, leonis  
 Effigie picta, mox hostica castra coire,  
 Cornipedes phaleris ornare, sibiq; timere.  
 Disponunt acies, condensant agmina cornu.

Hildensemensis effatur concionator  
 In cuneis: nunc ille dies, qui nos opulentos  
 360. Efficiet: timor ò solummodo degener abfit!  
 Gloria constantis asfistrix; mulcta fugati.  
 O crimen miserum! civem fore quemq; fugacem.  
 Stulte tuos fugiens, eris ecce tuis fugiendus.  
 Est infruniti, vi non obsistere lethi.  
 Virtus cuncta domat, & strenuus omnia prensat.  
 In virtute mori, non mors, sed vita fit ulli.  
 Est bene credibile nos hostes vincere posse.  
 Concipiunt omnes animos ad verba loquentis.  
 Protinus ardenter cupiunt pro munere pugnam.  
 370. Distabant leuca media, cum jam Ducis agmen  
 Præcipiti cursu gressum rapit ordine multo.  
 Incedunt acies ex ordine, terribiles sunt.  
 Protinus hoc viso munitur caspide Saxo,  
 Multa super populo questus, tristiq; ruina:  
 Rege JESU, quoq; matre pia, Sanctisq; vocatis.  
 Hinc crescit pugna, fragor alta reverberat astra,  
 Misfilium nube tenebre scit lucidus æther.  
 Vix tellus strepitum, vix suffert terra tumultum.  
 Hastæ disfiliant fractæ trans arva trabales.  
 380. Hinc parmæ parmis, hinc ense retunditur ensis,  
 Pes pede, virq; viro, lateri lateri, arma sub armis  
 Denfatur pulvis fessos sudor rigat artus.  
 Turba ruunt, rosensq; cruor lavit arma virosq;  
 Arva cruore fluunt, & putri squallida tabo  
 Exhalant animas millenis mortibus, Ecce!

Hic

Hic manibus mutilus, hic cruribus, ille cerebro  
 Contracto cadit, hic jacto per tempora ferro.  
 Hunc exenterat ensis, huic secat ilia mucro:  
 Spicula confodiunt hos, illos clava trinodis  
 Affligit, quos cornipedum gravis ungula calcat.  
 Sanguinis hic aliquis miserandam fundit orexin.

Corde Comes Lippas in pugnae limine lippus,  
 Vertit terga fugae turpi, Brunsvicq; relinquit.

Hujus quis cladem, vel funera fando diei  
 Explicet, aut possit verbis aequare laborem?  
 Numina sanctorum devotis mentibus adsunt,  
 Eripiuntq; suos, & eis funesta repressant.

Hildensemensis pater, & Dux fortis in armis  
 Grassatur, manibusq; ferox & pectore saevit.  
 Brandenburgensis, Anhalt & Saxonicus Dux,  
 Frater uterq; Ducis: hinc Nobilium chorus omnis,  
 Et praelibata jamdudum concio tota  
 Pro probitate loco non copia constitit ullo.

Qualis apud Trojam Patroclus & inclytus Hector,  
 De quorum laude nec secla vetusta quiescunt.  
 Credas Ajaces redivivos & Menelaos.

Vulnera multiplicant, dum vincere quilibet optat.  
 Dux Brunsvicensis optato tempore fretus

Horridus erigitur, ac ira vindice motus,  
 Dum recolit fastus illati, dumq; doloris  
 Perpesi, totus gravis & ferox imminet hosti.  
 Et breviter, corde gaudens, ulciscimur, inquit,

Gens & terra mea mecum, Sic ilicet orsus

Exanimatq; viros, nunchos, nunc proterit illos.

Militis atq; Ducis gerit officium, ferit hostem

Martius ipse manu, sociis sudantibus affert

Impiger auxilium, fractasq; redintegrat alas.

Hinc exaudiri gemitus plangorq; cadentum.

Interea Ducis ejusdem sanctissima conjunx

420. Limina Sanctorum, matronis cineta pudicis,

Visitat, & Dominum flecit sanctosq; marito.

Dumq; modum hic præter furiis laxaret habenas,

Cornipedem quidam ferit in caput ecce securi,

Hostibus exponens dominum, terræq; profundens:

Rursus equo dominum cari bellisq; remittunt,

Crudescit pugna, Dux acrius hostibus instat;

Cum quo tota cohors ultrices concipit iras:

Pulchrum pro domino reputant cecidisse manipuli.

Principio attoniti cesserunt turbine primi:

430. Languenti capite corpus caret omne vigore.

Tantum perfecit virtus unius in omnes.

Optima Theotocos dedit inviolabile corpus

Vulnere præsentis pugna: quasi diceret, ecce!

Flagrantis fidei Dux quam probo, percipe pignus

Ac arrhabonem, nostrum qui prodat amorem.

Quassari potuit, mergi tua cymba nequivit.

Dignum laude virum, dum Solis agit rota gyrum,

Posteritas oculis hæc hauriet, hauriet aure.

Est visus acies gestorum certior index.

440. Vivet fama Ducis, dum vivent carmina vatum:

Ad



Ad famam cuius sermo non sufficit ullus:  
 Proponunt dare gaudentes epinicia, verum  
 Gaudia mœrore victorum mixta fuere,  
 Planctu lætitiæ; cùm funera cara suorum  
 Inter cæforum videre jacentia turmas.  
 In luctum cithara est conversa, redactus amarum  
 Cantus in gemitum: nam primates duo capti,  
 Et Dux Wilhelmus & Parthenopolitanus,  
 Arcta pati vincla manibus coguntur onusti.

Sed licet anxietas premat ac enargia cunctos,  
 Vota tamen solvunt regnatori: memorantes,  
 Quod minimè Christus tollit, tollit crebrò fiscus.  
 Devoti grates referunt, arisq; reponunt.  
 Præstans obsequium, meritò capit emolumentum,  
 Non est mercedis devotio cassa fidelis:  
 Præsentis vitæ bona fert pius atq; fidelis,  
 Nescit deserere confidentes Deus in se.  
 Respexit vultu tranquillo conditor orbis,  
 Quem pius ut genitor modò commonefecit alumnum:  
 Restituens decuplum, quod subtraxit sibi simplum: 460.  
 Qui poterit facere, quos vult, opulos vel egenos.  
 Tempestè veniet, cuicumq; Deus benedicet.

Ut videre Duci post nubila Solis oriri  
 Splendidius lumen: tunc ecce tepescere cœpit  
 Hosticus ille furor. stant illis fœdera pacis:  
 Litigiis resilire placet, pactum stabilire  
 Indice voce, manu: jam cessodium profitentur.

Floret

Floret præcipuus cum præcipuis honor ejus,  
 Atq; inter primos augusti germinis heros.  
 470. Incedit primus regali matre creatus,  
 Regalem decorans meritis regalibus ortum.  
 Quando decusatur sibi conveniunt genus & mos.  
 Qui modò te cecini, Dux illustrissime gentis,  
 Nomen habens auctor, quod tu augustissime ductor,  
 Nienborg natus, cognomine Rosla vocatus.  
 Libri lectorem Dominus det habere decorem  
 477. Cœlestis regni, regat huncq; Dei manus almi.


FINIS.



JOAN.



JOAN. HENRICI MEIBOMII  
IN  
 HENRICI ROSLAE  
 HERLINGSBERGAM  
 NOTÆ.

 Væ in sacris literis de Ismaële, Abrahami filio, antequam lucem videret, angelus pronunciauit, quòd futurus esset homo ferus, omnibus infestus, & ab omnibus infestatus; id non incommodè quis accommodaverit ad *HENRICUM*, Alberti Magni F. Ducem Brunsvicensem, & familiæ Grubenhagensis, nunc emortuæ, conditorem, inquietum & turbulentum principem: qui quòd austerè omnia ageret, nec facilè suâ sorte contentus viveret, *Morosus*, sive ut vulgus Scriptorum loquitur, *Mirabilis*, popularibus suis *der Wunderliche* / fuit nuncupatus. Hic in divisione patrimonii cum fratribus, Alberto & Wilhelmo, auctoritate parentis adhuc viventis factâ, eum accepit tractum, cui hodie Fimbeca, Osterroda, Herzberga, Lutterberga, Gebelhusium, Duderstadium & Grubenhaga includuntur. Fuere ei cum fratribus, quòd in hærediti divisione se defraudatum quereretur, damnumq; id resarcircuperet, perpetuæ similtates, quæ demû, Wilhelmo sine liberis defuncto, in apertum bellum eruperunt, eo eventu, ut Henricus urbe Brunsvvigâ, quam sui juris fecerat, ab Alberto fuerit profligatus. Cum Comitibus Henrico Wernigerodano, & Henrico Reinsteinio, bella idem gesit fortunâ dis-

D

simili,



simili, quum ex arce Assenburgo & Herlingsberga ipse illos subinde infestaret, rursusq; suam ditionem miserrimè populari videret. Propter continuas verò ex dicta arce, sive castro Herlingsberga in vicinos factas eruptiones & deprædationes, potius tandem fuit eo etiam bello, quod Auctor noster describit, de quo paullo plenius aliquid dicere operæ pretium putamus. Sicutum fuit castrum *Herlingsberg* in edito monte contra arces *Widelagam* & *Fineburgum*, etiamnum hodie notas, prope *Oucram* fluvium. Conditor fertur *OTTO IV. Rom. Imp.* qui, quum adversario suo, & in Imperio competitori *Philippo Goslarienses* se adjunxissent, munitionem hanc contra eos exstruxit. Testis est *Arnoldus Lubecensis* lib. vi. cap. v. & *Crancius Metrop.* lib. vii. cap. xvi. quibus suffragatur *Tidericus Langius* in Poëmatio suo de Saxonia his versibus:

*De Brunsvick natus, fuerat Rex Otto vocatus,  
Servivit Christo, dum mundo vixit in isto,  
Iste coronatus in Brunsvick est tumultatus,  
Castrorū fundabat Herlingsberg quod nominabat.*

*Spangenbergius* innuit hoc factum anno *clō ccl.* Qui verò in præsidio ibi collocati erant milites, mirum in modum *Goslariam* infestabant, ut ex civibus opulentiores quique, immanium injuriarum pertæsi, urbe excederent. Quum enim urbi ad Solis ortū immineret *Herlingsberga*, ad occasum verò esset *Lichtenberga*, & in utraq; præsidium tam validum, quàm ad maleficia & injurias inferendas pronum, *Goslarienses* libidini petulantis militis exponebantur, quumq; nec tutò portis egredi ipsis liceret, & vicini aditu ad urbē prohiberentur, deficiente insuper annonâ, omnium rerum penuriâ graviter laborabant. Quod quum ad *Philippum* fama detulisset, oppressorum misertus, exercitum conscripsit, & contra *Ottonē* profectus est: jamq; in procinctu erat, ut *Herlingsbergam* obsideret, verum ab *Ottonē* ita exceptus est, ut fortunam periclitari non fuerit ausus. Ab *Ottonis* obitu quem *Herlingsberga* domi-

dominum habuerit, adfirmate liquidò non possum. Auctor Chronici Rithmici MS. adfirmat eam ab Alberto Magno, Henrici Mirabilis patre, ditioni Brunsvvicensi adjectam:

Dizze Fürste an Zugenden zart  
 Irwarpf ouch eyn türe Werch  
 Zo syner Herschaph den Harlungenberch.

Invenio alibi id factum anno M CC LV. quemadmodum etiam anno M CC LXXV. *Ludolfus de Elvingerode* arcem hanc tanquam Advocatus tenuit, nomine Ducis Alberti, ut habent Antiquitates monasterii Heiningensis. Neque hoc subticere possum floruisse sub hæc tempora familiam, quæ si non semper forte arcem Herlingsbergam possedit, ab ea tamen nomen sibi usurpavit. *Baldwinus* enim & *Jordanus de Herlingsberg* milites nominantur ad annum M CC LXXVI. *Jordanus* etiam ab ipso *Moroso*, sive *Mirabili* in literis ad annum M CC LXXXII. Anno verò M CC LXXXIX, simul vixere *Jordanus*, *Baldwinus*, *Henricus* & *VVidekindus de Herlingsberg*: quorum postremus in vivis adhuc fuit anno M CCC *Henricus* miles & *Bruno*, famulus *de Herlingsberg* inculcantur ad annum M CCC XIIX. & M CCC XXIV. *Henricus* autem ultimus fuit hujus familiæ, & bona quædam in feudum tenuit à *Dominis de Monte*, prope *Mindam* habitantibus: quæ ab illius obitu ad *Simonem de Monte* fuerunt devoluta. Ea *Simon* porro in feudum concessit *Conrado ab Assenburg*. Defuncto verò *Simone*, frater ejus *Gerardus*, ultimus familiæ *Dominorum de Monte*, *Episcopus Hildesienfis*, *Assenburgios* bonis istis in posterum ab *Episcopis Hildesiensibus* investiri voluit. Factum hoc anno M CCC XCIIIX. ut invenio notatum in Excerptis Hildesiensibus, parentis mei *Henrici Meibomii*. Cæterum defuncto *Alberto Magno*, quum filii hæreditatem paternam divisissent, *Henrico Mirabili* primogenito, ut ante etiam monui, cessit ea pars, quam ditionem *Grubenhagenensem* nominamus, cum districtu *Fichsfeldensi*. Quam suam portionem ille minimè contentus, ad fratrum regiones occupandas animum adjecit, intercepta etiam

per vim *Herlingsberga*. Hæc res quum vicinos quoq; offende-  
 ret, cum primis tamen *Sigfridum Hildesensem Episcopum*, Princi-  
 pem bellicosum, valde commovit: cujus querelis, de excursibus  
 & rapinis ex *Herlingsberga* factis, excitati Ordines Saxonici, Hen-  
 rico bellum intulere, quod à Poëta nostro describitur. Pugnam  
 Hieronymus Henningesius in *Geneal.* collocat in annum M. CC.  
 LXXXIV. Idem facit Joan. Pomarius in *Histor. Episc. Magdæb.*  
 sub Erico XXVI. Defensa autem mansit hoc temporis quidem  
*Herlingsberga*, belliq; causâ præcisâ pax ditioni fuit reddita, ut  
 Auctot noster testatur. Verum ex non longo intervallo recru-  
 duit bellum, summis utrinq; viribus redintegratum, eo tandem  
 eventu, ut Henricus Dux succumberet, arx ipsa *Herlingsberga* solo  
 æquaretur, & ditioni cederet *Sigfridi Episcopi Hildesensis*, qui  
 non longè ab eodem loco arcem exstruxit *Leuenborg*/sive *Leven-  
 borg*/altero miliari à *Wolferbyto* etiam hodie visendam: quam  
 postea iterum obsedit Henricus, sed frustraneo eventu. Factum  
 hoc non anno M. CC. XC. quem inculcat *Spangenbergius*, sed  
 anno sequenti, ut habent *Fasti Hildesenses*, & colligitur ex *Onu-  
 phrii Meinrosen Chronico Hildesensi MS.* pluribus vero dedu-  
 cit *Chronicon Magdeburgense MS.* in vita *Erici Archiepiscopi*,  
 cujus verba adscribo: *Hujus etiam tempore captum & fractum fuit  
 castrum Herlingsberg, ubi idem Archiepiscopus & cives cum eo fuerunt  
 in obsidione castri, cum multis aliis Principibus & Baronibus: ubi etiam  
 est ortum magnum bellum, in quo Dux de Brunswick cum suis succubuit.  
 Eodem etiam anno mortuus est Rex Alemannie & Romanorum Rudol-  
 phus, regni sui anno XIIX. & sepultus in Spira. De his sunt versus:*

*Post M. post duo CC. post nonaginta monosq;  
 Harlinberg capitur, moritur Rex, Dux superatur.*

Hactenus *Chronicon Magdeburgense*. Quamquam autem com-  
 muniter castrum jam dictum *Herlingsberg*, sive *Herlingberg* nun-  
 cupatur: tamen à *Crancio Herlinberg*, in versibus modo citatis  
*Harlinberg* vocatur, *Arnoldus Lubecensis* & *Chronicon Rithmi-  
 cum*

cum MS. *Harlungenberg* scribunt, cujus nominis montem habet Marchia ad Brandenburgum opidum, à coloris Alfatice *Harlungis*, quos Carolus M. ex Alfatia, sive Brisgoia eò traduxerat, id nominis sortitum, de quibus præter Abbatem Urspergensem consulatur Beatus Rhenanus. Wiperti Comitis Groicensis majores *Harlungos* nominatos scribit Auctor Chronici Pegaviensis. Sed hæc obiter: ad ipsius Poëmatis enarrationem pergemus.

*Versu 2. Congressumq; Ducis*] Per *Ducem* hic intelligit Auctor Henricum Mirabilem, quem toto fere poëmatis decursa Ducis nomine καὶ ἑξοχὴν nominat.

*Ibid. Clemens Deus annue cæptis*] Μίμησις est Virgil, ex lib. IX. Æn.

*Juppiter omnipotens audacibus annue cæptis.*

Præ cæteris autem Poëtis Virgilium imitatur Auctor noster, & interdum non infeliciter, quod subinde notabimus.

*3. Copia Scriptorum*] Docet Auctor his sex septem versibus, nihil esse potentius carminib<sup>9</sup> ad nominis memoriam gloriamq; sempiternam. Versus, utut seculi culpâ sint inconditiores, sententia tamen elegans est, & vera, quam diviniore spiritu profequitur Horatius lib. IV. Carm. Ode II X.

*5. Nequaquam regnis aliis*] Sallustius de bello Catilin. Atheniensium res gesta, inquit, sicuti ego existimo, satis ample, magnificaq; fuere; verum aliquanto minores tamen, quam famâ feruntur. Sed quia provenere ibi magna Scriptorum ingenia, per terrarum orbem Atheniensium facta pro maxumis celebrantur. Ita eorum, qui ea fecere, virtus tanta habetur, quantum verbis ea potuere extollere præclara ingenia. at Pop. Romano nunquam ea copia fuit: quia prudentissimus quisq; negotiosus maximè erat. Ingenium nemo sine corpore exercebat. optimus quisq; facere, quàm dicere, sua ab aliis benefacta laudari, quàm ipse aliorum narrare malebat. Hæc Sallustius; cujus hunc locum Poëtæ nostro in oculis fuisse non dubito. Queritur enim similiter res gestas Græcorum in majus laudari, quàm forte fuerint, quòd Scriptores habuerint insignes, qui eas descripsissent: Germanorum facta obscuriora, quòd scriptoribus destituerentur.

De iis enim, ut de Romanis Sallustius, ita Ulricus Huttenus in Heroico, de non degeneri German. statu:

*Neq; enim scriptis calamoq; vacabant  
Utiliora armis corda & prestantibus actis.*

*Maluit illa etas, quam scribere, nitier armis,  
Edereq; insignas, quas scriberet altera, pugnas.*

Si quid verò laudis majoribus nostris à Romanis tributum fuit olim, id ideo factum, quod ex magno & laudato hoste majus & laudatius obventurum sibi sciebant nomen. Cantilenas tamen habuerunt Germani, quibus res gestas suorum celebrabant, de quibus alibi quædam dixi.

7. *Carminibus vivitur*] Cicero lib. I. de Rep. *Nullius agricola cultu stirps tam diuturna, quã Poëta versu, seminari potest.* Ovidius alicubi:

*Carmine fit vivax virtus, expersq; sepulchri  
Notitiam seræ posteritatis habet.*

Item:

*Scinduntur vestes, gemmæ franguntur & aurum:*

*Carmina quam tribuunt fama perennis erit,*

Lucan. lib. IX.

*O sacer & magnus vatum labor! omnia fato  
Eripis, & donas miseris mortalibus ævum.*

Adi Theocritum in Hierone, sive Eidyll. XVI. Hoc, scilicet τῆ ποιητικῆ ἔδωκεν ὁ θεὸς ταμεύειν τὴν εὐκλειαν, Poëtica concessit Deus, ut nominis honorem dispensaret, inquit Synesius Epist. XLIX.

Notabis autem hoc in loco enorme vitium, quo in leges metri peccat auctor, quod alibi etiam facit, & in media illa seculi sui barbarie nemini non familiare erat. Ita peccat in voce *asseverantes, municipium, magnanimus, elegantissima, olim, concionator &c.* ne quid dicam de vocabulis Græcæ originationis, quibus licentiose

tiose



tiosè ubiq; utitur, aut de cæsuris, quas habet frequentes, & sine exemplo bonorum Poëtarum. Sed seculo ista imputanda, quo vixit.

9. *Fortia qui faciunt*] Ut Alexander M. Achillem felicem prædicavit propter præconem Homerum, ut est apud Ciceronem Orat. pro Archia, Symmachum lib. IX. Epist. LXVII. ita infelices habentur, præconibus laudum suarum destituti. De iis Horatius Carm. lib. IV. Ode IX.

*Vixere fortes ante Agamemnona  
Multi; sed omnes illacrymabiles*

*Argentur ignotiq; longâ*

*Nocte, carent quia vate sacro.*

11. *Gens famosissima*] hoc est, clarissima & celeberrima. Onomasticon Græcolatinum: *Famosus*, & Φημος. Vocabulum enim est μέσον, ut & primitivum ejus *fama*. Unde Tacitus etiam *Hierosolymam* vocat urbem *famosam*, Hist. lib. V. cap. II. id est, celeberrimam, ut toto terrarum orbe fuit. Exempla non addo alia. Videatur Tiraquellus de Nobilit. cap. XXXI. num. XXXIIX. & seqq. Weitzius Notis ad Virgilii Copam. Barthius in Animadvers. ad Claudian. de bello Gildon.

15. *Est ignoscendum studiosis*,] Athenis olim lege cautum erat, ne, quam primam daret Poëta fabulam, exploderetur, quod primo conatui favendum censerent: iniquum esset, si Auctori nostro petenti eandem gratiam facere Lector recusaret.

17. *Colloquium tenuere*] Hoc est, conventus egere, formâ mediæ ætatis usitatisimâ. Galfredus Monumetensis lib. VI. cap. XV. *De pace habenda colloquium inceperunt*. Saxo Sialandicus lib. XIV. *Henricus Bavariâ reversus apud Eidoram solenne cum Danis colloquium habuit*. Græci olim dixerunt εἰς λόγους ἐλθεῖν, qua phrasi utitur Herodotus lib. IX. Paulo aliter usurpat Guntherus in Ligu-rino lib. X. ubi ait:

*Nec mora, colloquium cum Saxone poscit habendum.*

Hoc

Hoc enim ibi vult dicere, hostem cum Saxone velle colloqui de transactione, sive ut communiter peregrino vocabulo idem solemus exprimere, *parlamentare*. Ita Annales Francorum à Justo Reubero editi, ad annum CIJ CCCX. *Petit ut colloquium fieret --- promittens se in eo cum omnibus suis in Imperatoris ditionem venturū.*

19. *Compromittunt*] Id est, omnes unanimi voce invicem promittunt, phrasi non adeò usitata. Nam propriè *compromittere* vocabulum est forense, deq; eo dicitur, ubi duo vel plures litigantium arbitrio boni viri litem submittunt decidendam, ejusq; decisioni se parituros promittunt. Græcis est ἐπιρρέπειν, Potestas ipsa litem decidendi ἐπιρροπή, Latinis *compromissum*.

20. *Divide tres hostes per pacem, praelia, treugas*] Elegans & notabile hoc monitum est politicum, non esse uno eodemq; tempore cum duobus tribusve hostibus belligerandum: qui si præter opinionem immineant, cum uno pacem, cum altero inducias faciendas, ut tertii impetus eò facilius sustineri, roburq; ejus infringi possit.

----- χαλεπὸν γὰρ ἐρυκακέειν ἓνα πολλὰς,

----- *Difficile est uni compescere multos,*

inquit Homerus Odyss. T. Neq; ignominiosum multitudini cedere, quum ne quidem Herculi fortissimo contra duos pugnare visum fuerit, ut originem ex eo sumpserit proverbium, μηδ' Ἡρακλῆς πρὸς δύο. de quo vide Frasmum. Non longe à Poëtæ nostri consilio abit sententia Rudolphi I. Imp. apud Albertum Argentinensem: *Quicumq; tres lites habet, duas, si poterit, reformet: hoc est consilium meum.* Sequutus id consilium Philippus Macedo, de quo Justinus lib. VII. cap. VI. *Quoniam omnibus par esse non poterat, dispensanda ratus, alia interposita pactione componit, alia redimit, facillimis quibusq; ingressis, quorum victoria & militum trepidos animos firmaret, & contemptum sibi hostium demeret.* Vide apud eundem de Hercyllide Lacedæmoniorum Duce, lib. VI. cap. I.

11 *Treuga* autem hic idem sunt quod induciæ. Guilielmus Neubricensis; *Induciæ, quas treugas vocamus.* Apud JCros titulum inve-

invenias de tregua & pace: estq; ipsis tregua securitas præstita rebus & personis, discordiâ nondum finitâ: sive, ut præstius dicam, cessatio à bello pactitia. Græci ἐνεχειρία vocant, τὰρὰ τὸ ἔχειν τὰς χεῖρας, ab abstinendis manibus. Apud Robertum de Monte scribitur Trevia, quod convenit cum vulgari illo Treges: Itali tregua dicunt & triegua, sospendimento d' arme: armorum suspendium: Græci recentiores τρέβα & τρέβα, de quibus vide Jo. Meursium, Glossario Græco-barbaro.

21. Ardua qui] Hoc Itali eleganter dicunt:

*A cadervà, chi troppo in alto sale.*

*Casum minatur, quisquis altius salit.*

Ibid. *Recidivat ad imum*] Id est, recidit, sive rursus decidit. // verbum est sequioris seculi. Papias Lexico: *Recidivare, revocare, post lapsum reparare.* Item: *in infirmitatem iterum cadere.* Huguvvicio: *Recidivare, renovare, post casum reparare.*

28. *Primates, Satrapas*] Intelligit Principes, dominos, proceres regionis. versu 37. *primores* vocat. De omnibus vide parentem meum in Vindiciis Billinganis.

41. *Ille minus, quàm dura silex*] Expressum ex Virgilio illis lib. VI. *Æn. de Didone:*

*Nec magis incepto vultum sermone movetur,  
Quàm si dura silex, aut stet Marpesia cautes.*

42. *Quod ei nova factio surgat*] Factionem Nonius ait sumi // pro opulentia vel potentia intoleranda. Pro opulentia sumit Plautus *Cistellar. act. II. sc. I.* & *Aulular. act. II. sc. I.* pro potentia intoleranda *Bacchid. act. IV. sc. II. X.* Jos. Scaliger in *Noris ad Mamil. lib. I. & V.* explicat factiones Græcè per αἰρέσεις, πράξεις. Glossarium vetus *Factio, συσκευή.* Est autem συσκευή Herodiano lib. III. *fraudulenta molitio, insidiarum subornatio, captatio:* quo sensu factionis nomen etiam heic loci usurpatur, & apud Suetonium in *Claudio cap. XIII.* *Sed & à singulis per factiones, & deniq; civili bello infestatus fuit.*

E

43. Mens



43. *Mens est quippe viri prænostica*] *Prænostica*, quasi præscia, à verbo *prænoscere*, quod est præscire, prædivinare, quo utuntur Plautus *Asinariâ* actu I, sc. I, Cicero lib. I. de *divinat.* Notissima autem sententia dicit, mentem humanam futuri sæpe prædivinatricem ac præfagam esse, quod Auctores etiam alii sæpe inculcant. Cicero loco dicto: *Censent esse in mentibus hominum, tanquam oraculum aliquod, ex quo futura præsentiant.* Hinc apud Virgilium *Æn.* lib. XII. *Præfaga mali mens*: apud Ovidium lib. II. *Metam.* fab. I.

— *præfagaq; luctus*

*Pectore sollicito suspiria:*

Et lib. II. de *Ponto* El. II X.

— *timida præfagia mentis.*

Livius lib. XXV. *Ad Romanos nondum quidem tanta cladis notitia pervenerat, sed tamen mœstum quoddam silentium erat, & tacita divinatio; qualis jam præfagientibus animis imminentis mali esse solet.*

44. *Paullo metitur*] *Metitur* animo, & expendit, perpendit, æstimat rei magnitudinem. Ovidius lib. II. *Metam.* fab. I. de *Phaëtonte*:

*Quid faciat? multum cœli post terga relictum;*

*Ante oculos plus est: animo metitur utrumq;.*

Claudianus lib. II. de *raptu Proserp.*

*It Venus & raptus metitur corde futuros.*

47. *Oceanumq; mare*] Catullus *Carm.* penult.

*Usq; ad Hyperboreos, Oceanumq; mare.*

Ita duo substantiva conjunguntur, quorum tamen alterum vicem subit adjectivi, loquutione apud bonos auctores non inusitata. Ciceroni hoc modo dicitur *lapis silex*, Horatio *stertinium acumen*, Persio *juvenes cura*, & *heroës sensus*, Martiali *dominum supercilium*, & *famulum nemus*. Exempla plura alia collegerunt viri claris-

clarissimi Josephus Scaliger in Catalectis, Jo. Meursius ad Lycophronem, & alii.

*Ibid.* *Mihi servit & ultima Thyle*] Hemistichium est à Virgilio *mutuarum* ex lib. I. Georg.

*Tibi serviat ultima Thule.*

*Thylen* autem insulam cum Arnobio lib. VI. adversus gentes & Jornande lib. de rebus Gothic. Poëta noster vocat, quam auctores cæteri *Thulen*; Ptolomæus, Strabo Græciq; alii *θάλην*. Vocat *ultimam* cum Virgilio, Arnobio & Seneca *Medeâ*, act. II. *procul axe remotam* Claudianus: *ignotam, nigram & nigrantem* Statius. In Oceano Hyperboreo sive Septentrionali omnes collocarunt, quæ verò hodie illa sit, de eo

*Geographi certant, & adhuc sub judice lis est.*

Tu vide præ cæteris Guil. Camdenum, in descript. Britan. sub fin. Perrum Bertiū, & Jodocum Hondium in descript. Islandiæ, tum verò Phil. Cluverium lib. III. German. antiq. cap. XXXIX.

52. *Qui fœdus cassat amici*] *Cassare* verbum est bonis auctori-  
bus ignotum: recentioribus est delere, exauctorare. Formatur à voce *cassus*, quæ inane, orbatum, vacuum, privatum significat. *Onomasticon Latino-græcum*: *cassum*, κενόν. Priscianus lib. XI. à *careo* deducit; Nonius à *casibus aranearum*; alii à casu. Sunt quib<sup>9</sup> quasi *quassum* dicitur. Lucretio lib. III. *cassum animâ corpus*, est mortuum: ut Virgilio lib. II. *Æn. lumine cassi*, & lib. IX. *athere cassi*, sunt vita functi: Afranio *cassi terricula*, minæ inanes. Symmachus lib. I. Epist. IX. *Credo planè, nec fides cassa est*: quod Virgilius lib. IV. *Æn.* dixit.

*Credo equidem, nec vana fides.*

Auctor noster infra agrum vomere *cassum*, vocat aratro non subactum. *Fœdus* autem *cassare* hoc loco, est tollere, rescindere.

55. *Invoco te testem*] Formula solennis Deos ἵστορας, ἐπιμάρτυρας, testes & consocios invocandi. Vide nos in Comm. ad Jusjur. Hipp.

59. *Tam bene nullus agit*] Theognis ἐν γνώμας.

----- ΟΥΤΕ Ψ Ο ΖΕΥΣ,

E 2

ούθι

ὅυθ' ὕωυ πάντας ἀνδάνδ, ἔτ' ἀνέχων

— — *Neq; Juppiter ipse,  
Seu pluvius, seu sic siccus, ubiq; placet.*

Trebellius Pollio in Posthumo II. *Nusquam gentium reperietur,  
qui possit penitus approbari.*

63. *Qua proponit homo*] Desumpsit ex Salomone Proverb. XVI.  
*Mens hominis de ejus via deliberat, sed ejus gressum componit Jehova.*  
Vulgo dicimus: *Homo proponit, Deus disponit.*

65. *Epulis reficitq; perunctis*] Id est admodum delicatis, sum-  
ptuosus, lautis, Catullus

— — *Quid hic potest,*

*Nisi uncta devorare patrimonia?*

id est: ampla & opima. Persius Sat. III.

*Uncta cadunt laxis tum pulmentaria labris.*

Plautus Pseudolo act. I. Sc. II.

*Pulmento utor unctiusculo.*

67. *Basilei*] Utitur voce hac Abbo de obsidione Lutetia  
Paris, lib. I.

*Urbs mandata fuit Carolo nobis basileo.*

Loquitur autem de Carolo de Baguera, sive de Bovera, qui &

67. *Crassus*, rege Francorum. At Auctor noster per *basileos* intelli-  
git Principes, Duces in Henricum Morosum confederatos, quos  
paulo ante primates, primores & satrapas vocarat. Propriae dicas  
*regulos*. Ammianus Marcellinus lib. XIX. *Reges omnes & regales  
& regulos ad convivium corrogatos*. Etiam Homerus passim *Duces*  
suos *reges* nominat: & Manilius lib. II, Priami filios *reges* vocat,  
atq; ipsum ait esse

— — *quinquaginta regum regemq; patremq;*

Extat apud Goldastū in Constit. Imper. Epistola Ludovici Junio-  
ris Imp. ad Basilium Imp. Constantinop. qui sibi soli βασιλέος titu-  
lum

lum

lum arrogabat; ubi Ludovicus hæc inter alia habet: *Gentium singularum monumentis interim postpositis, sacra nobis affluenter historia monstrant, plurimos fuisse Basileos nuncupatos. --- Invenies plurimos talis nomine vocatos, & non solum Græcorum, sed & Persarum, Epirotarum, Indorum, Bithyniensium, Parthorum, Armeniorum, Sarracenorum, Æthiopum, Vandalorum, Gothorum & aliarum gentium prelatos Basileorum appellatione veneratos.*

68. *Veredariis*] Procopius Orat. I. de bello Vandal. & lib. V. de ædific. Justin. *Βερεδαρίους* vocat. Sunt autem Principum Regumq; nuntii & tabellarii, sic dicti, quod *veredis* uterentur, equis ταχυδρομίοις & velocissimi cursus, Casiodorus Var. lib. IV. ep. XLVII. equos *curiales* vocat, & lib. VI. ep. VI. laudat eos ab oportuna velocitate, & quod eorum status semper in cursu sit. His per iter dispositis, & per stationes ad celeritatē mutatis, veredarii utebantur, ut eò velocius, quò destinabantur, pervenirent, ac principes sine mora eorum, quæ ubiq; locorum gererentur, certiores reddi possent. Vide de Persarum veredis Herodotum lib. II. Si plura desideras, adi Guidum Pancirollum, Comm. in Notitiam Imp. cap. VI.

*Ibid. Desidant*] Legendum *diffidant*. Est autem *diffidare*, bellum denuntiare; *diffidatio* & *diffida*, ipsa denuntiatio, & initium quasi belli. Vir doctus Matth. Martinius Lexico Frymol. non ineptè vocem deducit ab antiquo *feida* sive *faida*, quæ vox exstat in Legibus antiquis Longobardorum & Saxonum, ex Germanico *Fehde*/quo inimicitia ac bellū denotatur. Unde *befehden*/bellum inferre, *Ohrfehde*/juramentum sive testatio, quā quis inimicitias renuntiat & ultionibus: & *diffaida*, sive *diffida*, indictio belli, & *diffidare*, sive *diffidare*, bellum indicere. Necessitatis autem olim esse censebant indicere prius bellum, quàm inferre, ne primus in id erumpens, aut alterius ditiones invadens, pro latrone haberetur. Hinc Livius lib. XLVI. de veteribus Romanis ait, eos *indicare prius quàm gerere solitos bella, denunciare etiam, interdum locum finire, in quo dimicaturi essent.* Quomodo tamen ista limitanda, vide apud magnum Grotium lib. III. de Jure belli cap. III. num. VI. & seqq.

75. *Exercitibus stipendia larga pluuuntur.*] Apuleius in princ. Floridor. *Totum illud spatium qua pluitur & ningitur.* Appositè autem hoc loco usus est Poëta voce *pluuuntur*. Etenim pluvia larga opus est pecuniæ in bello, ut exercitui numerofo de stipendiis, aliisq; ad usum necessariis, satisfiat; nec numerari ferè potest idæ, quod hic erogandum. Scitè olim ille magni nominis belli dux, Joan. Jacobus Trivultius, qui interrogatus, quas res maximè ad gerendum bellum putaret necessarias, respondit, *pecunias, pecunias, atq; iterum pecunias*: tantam nempe earum vim, quæ immensa esset, atq; exprimi vix potest. Et alter quidam, Capitaneus Lusitanus, consultus à Sebastiano Portugalliæ Rege, qui de expeditione in Barbariam consilia animo agitabat: tria gerendo bello requiri dixit flumina, quorum prius militem, alterum com meatum, tertium pecunias continuo advectaret.

78. *Et Chalybum masse*] Virgilius in octavo divini operis dixit, *Stricturas Chalybum.* *Chalybes* populi metallis abundantes. Unde *Chalybum metalla* apud eundem Poëtam in decimo.

80. *Non hïc unigena fabricatur machina*] Non unius, vult dicere auctor, conficiuntur generis machinæ, sed plurium. Quemadmodum autem Romanorum machinæ bellicæ complures ab animalibus nomen fortiebantur, ut *aries, cuniculus, ericius, testudo, scorpio, musculus, onager*, de quibus Servius ad Virgiliæ *Æn.* lib. XI. & Isidorus *Orig.* lib. XIIII. Ita morem hunc Germani imitati, suis etiam machinis animalium nomina indiderunt. Noster auctor nominat *hirundinem, suem, asellum & arietem*. Otto de S. Blasio, continuator Ottonis Frisingensis, addit *talpam, vulpeculam, ericium, cattum*. Chronicon Colmariense *cancrum*. Urspergensis Abbas, & Chronicon incerti auctoris editum à Christiano Wurstisio, notant imperante Ottone IV. Imp. coepisse usum instrumenti bellici, cui nomen *Tribock*: Matthæus Parisiensis in *Histor. Anglic.* nominat *Tribunculum*: Carolus Sigonius lib. XI. de Regno Italiæ, *Trabuchum*. Præter has verò ab animalibus denominatas machinas, auctor noster mentionem facit *librille*, sic dictæ,

opel 3. IV. quasi



quasi saxea pondera libret.

Apud alios aliæ recensentur, ut *Petraria* apud Turpinum in vita Caroli M. cap. IX. Joannes Monachus in vita Gansfredi Ducis Andegavensis *Petroritas* vocat. *Clizæ* sunt apud Auctorem vitæ Caroli M. à Pithæo editum: *Troje*, apud Turpinum loco cit. *Mangas* habet Radevicus lib. II. cap. XLI. quas Auctor Chronici Hierosolymit. à Reineccio evulgati lib. VI. cap. IX. & sæpe alibi *Mangenas*: Sigonius *Manganas*: Joannes Monachus & Anonymus scriptor Græcus apud Jo. Meursium in Lexico Græco-barbaro, *Mangonellas* vocant. Ottoni Frisingensi de gestis Frid. I. Imp. lib. II. cap. XVI. dicuntur *Marga*. Georgius Fabricius, Orig. Saxon. lib. VI. meminit *Blide*, quam phalaricæ Romanæ similem facit. *Falces* memorantur Roberto Monacho lib. IV. de bello sacro: *Briccole* Sigonio loc. cit. Harum autem machinarum illâ ætate tantum artificium erat, inquit Sigonius, ut quarundam impetu vasti etiam molares in sublime torquerentur. Inventis verò hodie tormentis æneis omnium usus exolevit. Cæterum machinæ istæ omnes generali nomine scriptoribus vocabantur *ingenia*, ut est apud Robertum Monachum lib. II. cap. XXIX. lib. VI. cap. II. & IX. lib. VII. cap. II. & passim alibi. Vide etiã Auctorem Chron. Hierosol. lib. IV. cap. XXXV. & Guil. Britonem lib. VII. Idq; exemplo Tertulliani, qui *ingenia* appellat instrumenta vel machinas, & quæcunq; artificia, quibus aliqua operationes eduntur, ut observat nobilissimus Salmasius Notis ad Simplicii Comm. in Enchirid. Epicr. Atq; etiam hodie Itali *ingegno*, sive *ingenium* usurpant pro machina, & *ingegnere* vocant præfectum machinarum, quem Galli *ingegneur* dicunt. Quales autem singulæ fuerint machinæ recensitæ, & in quem usum fabricatæ, perquam difficile fuerit explicare. Si tamen conjecturis aliquid tribuendum, *Li-brillam* Auctoris nostri, ex *balistarum* genere fuisse autumem: *Asellum*, ad Onagrum Romanum retulerim. *Tribunculus*, sive *Tribock* ex nominis Germanici etymologia ad *Arietem* spectabit. Descriptionem *Catti* & *Canceri* habet Chronicon Colmariense.

De

De *Casso* etiam Sigonius lib. XIX. *Satum fecit*, inquit, qui anteriore ex parte flammam evomebat, in posteriore verò armatos inclusos habere. Machinas cæteras cum Romanis Lector ulterius conferre poterit, & lucem his aliquam addere ex Vegetio & Lipsio de militia Romana. Hoc tantum addo, hodie etiam tormenta bellica ænea animalium ferè nomina fortiri. Ex iis sunt apud Leonh. Fronspergerum de jure & re milit. part. I. lib. II. & part. II. in princ. *Basiliscus*, *Serpens*, *Philomela*, *Syren*, *Sus*, *Simia*, *Rusticus*, *Bos*, *Satyrus*, *Falco*, *Falconeta*, solo pondere, & glandis, quam emittunt, quantitate & magnitudine ferè differentia.

86. *Præsul Sifridus Hildesheimensis*] *Sigfridus* hic ante adeptum Episcopatum Hildesensem Decanus fuit Ecclesiæ Magdeburgensis: Chronicon monasterii S. Michaëlis apud Hildesenses MS. ab hoc Sigfrido castrum Herlingsberg destructum testatur, & non longè ab eo aliud exædificatum, cui nomen *Sevenburg* / ut à principio monui.

88. *Magdeburgensis*] Intelligit *Ericum Archiepiscopum XXVII.* qui unà cum civibus suis contra Henricum Morosum profectus, captus & in vincula coniectus fuit. Vide infra, num. 114. & 148.

89. *Hermannus de Blanckenburg*] Fuit hic Halberstadensis Ecclesiæ Canonicus, dignitate Portenarius, ut vocant, sub Volrado Episcopo decrepito, qui circiter annos XLII. sedi præfuit, ac ætate ingrayescente Guntherum Mansfeldensem Præpositum, Albertum Aldenburgensem Decanum, Gebhardum Querfurtensem Cellarium, & Hermannum Blancoburgensem Portenarium, vicarios habuit. Fervente igitur civili hoc bello, ad commune negotium amandatus est Hermannus. Idem non longè à gesto bello hoc, anno nempe M CC XCV. Præpositum egit S. Bonifacii apud Halberstadenses, duobus post annis in Episcopum electus, quæ causa est, ut ab auctore nostro dicatur

*Jam successurus cathedrali dignus honore.*

93. *Otto Saxonicus Dux*] Hic libenter fateor, aquam mihi hæresse. Quis enim hic Otto fuerit, Dux Saxonie & elector juxtà cum  
igna-

ignarisissimis scio. Nullum enim hujus nominis, quanta etiam diligentia inquisierim, in annalibus aut Genealogiographis nostris invenio, qui circa añum M CC LXXIIX. quo bellū hoc Herlingsbergense depugnatum fuit, vixerit. Inculcant Joannem I, Saxoniae, Angriae & Westphaliae ducem & electorem, qui annis ante hanc pugnam quinque, anno M CC LXXIII. Rudolphum elegit Habsburgium, diemq; suum obiit anno M CC LXXXV. Inculcant Albertum II, Saxoniae ducem & electorem, Joannis I, fratrem, qui anno M CC XCII. post pugnam hanc anno XIV. elegit Adolphum Nassovium, sub quo vixit Auctor noster. De Ottone Saxoniae duce & electore altum silentium: quem si quis me in historia Saxonica versatior me docuerit, is solidam a me inierit gratiam.

98. *Martius Albertus juvenis*] Alberto, Henrici Morosi fratri, a corporis crassitie nomen fuit *obesi*, sive *pinguis*. In hoc poemate *Martius juvenis* appellatur, quod inde factum autumo, quod vivente adhuc patre cum principibus aliquot & Dynastis in Borussia profectus fuerat, auxilium ferens Ordini Teutonico cum vicinis Sarmatis, a fide Christiana desciscen-  
tibus belligeranti. Idem fecerat pater ejus Albertus Magnus, anno M CC LXV. ut testantur Additiones ad Schaffnaburgensem.

*Ibid. Wilhelmus Ephebus*] De hoc videatur parens meus Henricus Meibomius, Notis ad Aur. bull. Andronici Imp. ubi Cranicium & Henningesium refutat, quorum alter in pueritia, alter in infantia Wilhelmum obiisse scribunt. Eosdem certè & Auctor noster refellit, dum Wilhelmum ephebum facit & militiae ducem, quorum utrumq; vel puero vel infanti, convenire nemo sanus dixerit.

99. *Sunt desolanda*] Respicit Auctor Salvatoris nostri axiomata politicum, quod is profert apud Matthæum cap. III. vers. 24. & Lucam cap. XI. vers. 15. *Si regnum in se dividatur, non potest regnum illud stare.*

100. *Revera censum*] Hæc Crispi Sallustii in bello Jugurth. sententia est, semper laudata & pro craculo quodam habita: *Concordia res parvæ crescunt; discordia maxime dilabuntur.*

101. *Amplior amplificis*] Hac formatione Plauto Epit. act. I. sc. I. dicitur *furtificus*; & eidem apud Varronem lib. VI. de L. L. *furnificus*: Lucretio *letificus*, *horrificus* & *terrificus* lib. I. II. & VI. Apuleio in Apol. *candificus*: Gellio lib. XIX. cap. IV. *algificus*: Paschasio Ratberto Carm. in lib. de Corp. & Sangu. Dom. *almificus*. Gunth. Ligur. lib. II. *regificus*.

101. *Luneburgensis juvat hos Dux*] Fuit hic *Otto*, *Strenuus* cognomento, *Joannis* Ducis Luneburgensis F. qui patre anno M CC LXXVII. defuncto gubernationem Ducatus adiit, ut habet Chronicon Rithmicum MS. Hic Henrirum Mirabilem secundo agnationis gradu contingebat, ut auctor hic innuit, & ex subjecto schemate liquet.

Otto, cognomento Puer, primus Dux  
Brunsvicensis.

Joannes Dux Lune-  
burgensis

Albertus Magnus Dux  
Brunsvicensis.

Otto Strenuus.

Henricus Mirabilis.

Ottonis hujus Strenui titulus, ut in literis ab ipso datis habetur, hic fuit: *Otto Dux de Brunsvic ac Dominus in Luneburg.*

103. *Alares quin exhibeat.*] Quos Auctor hoc in loco & Tacitus Annal. lib. III. *Alares* vocat, eos Cæsar *Alarios* nuncupat. Livio lib. X. sunt *Alares cohortes* & *Alarii equites*. De his prolixè vide Lipsium lib. II. de milit. Rom. Dial. VII.

104. *Marchio magnanimus, signatus arundine frontem*] Hic est *Otto*, ejus nominis IV. Marchio Brandenburgensis, Joannis F. cognomento *Sagittarius*, Germanice *Mit dem Pfeill*. Fertur enim anno M CC LXXIX. in oppugnatione opidi Statsford sagittâ ictus, cujus ferrum toto anno, antequam commode evelli

evelli posset, cirentin ferre coactus fuit. Sigfridus Presbyter lib. II. ad annum M CCC IV. vocat *Ottonem cum telo*. Per *arundinem* autem, quo vocabulo Poëta hic utitur, sagittam intelligunt auctores, ex arca ad fauciandum evibratam. Virgilius lib. IV. *Æn.*

--- *Hæret lateri lethalis arundo*

Et lib. VI.

— — *actaq; multo*

*Perq; uterum sonitu, perq; ilia venit arundo.*

Statius lib. IV. *Thebaid.*

*Terga Cydoneâ Corythos arundine pulsat.*

Silius Italicus lib. II.

*Ecce Cydoneâ violatus arundine plantam.*

Alio nomine *calamum* vocant. Ovidius lib. I. *Metam. fab.*

*Nec Gortyniaco calamus levis exit ab arca.*

Plinius lib. XVI. *Calamis populi Orientis bella conficiunt.* Sed de arundine & calamo quæ huc faciant, vide apud Jo. Bodæum Com. ad Theophr. *Hist. Plaut. lib. IV. cap. XII.*

110. *Patruus suus Otto, Totus Christicola, totus pietatis amasor* ]  
Intelligit Alberti II. Marchionis Brandenburgensis filium *Ottonem*, qui à studio religionis, pro qua etiam arma contra Saracenos induit; & beneficentia erga pauperes, *Pii* sive *Benefici* cognomen invenit. Fuit autem patruus *Ottonis cum telo*, sive *Sagittarii*, de quo modo dixi. Si verò hic prælio ad Herlingsbergam interfuit, necesse est fuisse grandævum, & tam Henningesium, quam Reusnerum, ejus obitum in annum M CC LXVII. collocantes, à vero aberrasse.

114. *Præter Marchio, cui nomen Albertus* ] Hic alter *Joannis Filius*, *Ottonis IV.* sive *cum telo* fuit frater, *Ottonis Pii* patruus, qui ut huic prælio interfuit, ita non diu eidem supervixit, eodem hoc anno *annis* decessens, ut habet Henningesius. Id in prælio factum putat Reusnerus. Schema cognationis horum inter se subjicio.

NOTE IN

Albertus II. Marchio Brandenb.  
Electo IV.

Joannes I. Ele-  
ctor V.

Otto III. Pius vel Be-  
neficus Electo VI.

Otto cum telo, five  
Sagittarius.

Albertus.

Ericus Canonicus Co-  
loniensis & Halbersta-  
densis, deinde Archiepisc.  
Magdeburgensis XXVI.  
quem in prælio Herling-  
bergenfi captum jam dixi-  
mus, ad versum 88.

116. *Anehalt Princeps Otto*] Intelligi puto *Ottonem*, filium *Hen-  
rici I. Bernardi Saxonie Ducis* nepotem: *Bernardi I. & Sigfridi*.  
*Anhaltinorum Principum* fratrem, qui anno M CCC XV, illi  
fata concessit.

117. *Bernardus de Berenborg*] Hic, ni fallor, fuit *Bernardus II. Bern-  
ardi I. filius; Ottonis & Sigfridi* ex fratre nepos. Obiit hic anno  
M CCC XIX, tribus post Ottonem patrum annis.

119. *Albertum de Kotene*] Intelligo *Albertum Anhaltinum* prin-  
cipem, quem *Seniorem* respectu filii ὁμώμυς vocant *Annales*:  
*Sigfridi* filium, *Ottonis & Bernardi* ex fratre nepotem, qui obiit  
anno M CCC XVII. Schema agnationis est sequens.

Henricus I. Bernardi Ducis Sax. F. Princeps  
Anhaltinus,

Sigfridus, alii Sigis-  
mundum vocant.

Bernardus I.

Otto,  
obiit 1315.

Albertus Senior  
obiit 1318.

Bernardus II.  
obiit 1318.

120. *Saxonie nemus est, viginti millibus & sex porrectum*] *Silva*  
*Hercynia* Eratostheni, teste *Cæsare lib. VI. de bello Gall.* etiam nota  
fuit, *Orcynia* dicta, *Ptolomæo & Straboni* ὄρκυνη & ἑρκύνιος δρυμὸς  
five

sive *Hercynius saltus*, Plinio *Hercynium jugum*. Montes in ea silva, inter quos *Bructerus* nostratibus notissimus, vulgò *der Brocken*/item *der Blocksberg*/ *Hercynii* dicuntur: Helmoldo lib. I. cap. XXVI. *montes Hartici*. Silva ipsa per totam ferè Germaniam diffusa, aliis in locis aliud sortitur nomen, priscū illud in solius Saxoniae inferioris Ducatu Brunsvicensi retinet & vulgò *der Harz* dicitur, ut Rhellicanus in annotat. ad Cæsarem, & cum eo ferè Althamerus ad Tacitum notant. Raymundus Marlianus ad Cæsarem ab *Hercyno monte*, quem hodie ignoramus, dictam voluit. Althamerus & Glareanus ad lib. VI. Cæs. à *pice* sive *resina*, quam Germani *Harz* vocant, derivant: quod resiniferis arboribus redundet, & resinæ copiam magnam gignat. Auctor noster à *duritie* deducit. Quod enim *durum* est Latinis, id nostri dicunt *Harz*: quasi omnia in isto tractu sint solidiora & duriora, incolæq; ipsi homines sint asperi, furiosi, nec ferrum mortemq; formident: quales *Arctos* omnes in frigidis locis prognatos Lucanus esse ait:

*Omnis in Arctois populus quicunq; pruinis*

*Nascitur, indomitus bellis & mortis amator.*

quales etiam Virgilius Trojanos describit *Æn.* lib. XI.

--- quos nulla fatigant

*Prælia, nec victi possunt absistere ferro.*

Sive verò latitudinem, sive longitudinem silvæ *Hercyniæ* intelligat Poëta, patere illam ait XXVI. millibus passuum. Quod intelligendum non de prisca illa *Hercynia* silva, quæ major omnino fuit, sed de ea, quæ auctoris tempore ita vocabatur, quæq; adhuc hodie prisco nomine insignitur. Nam Cæsar latitudinem priscae illius IX. dierum iter expedito patuisse scribit; quumq; initium ponatur ad *Rheni* ripam, finem etiam LX. dierum iter progresso ignorari adfirmat. Vide *Cluverium Germ. antiq.* lib. III. cap. XLVII.

130. Tredecim duxere Barones; *Blanckenburg Reinstein*] Hi Comitatus,



sive Dynastiæ, aut Baronatus desierunt omnes, exceptis *Mansfeldia, Stolbergensi & Barbyensi* Comitatu. Archiepiscopæ Magdeburgensi cedere *Quernfurtum & Hademerschlebia*: Ducibus Brunsvicensibus *Hohnsteinium, Blanckenburgum & Reinsteinium*: Comitibus Mansfeldiis *Hakeborna, Arnsteinium & Scrapelovia*: Stolbergensibus *Vvernigeroda*: *Falcosteinium* paret Assæburgiis nobilibus. Videatur de familiis istis *Joannes Hoppenrodus* in Genealog. Saxon. & *Hermannus Hamelmannus* in famil. emort. Comitatus *Reinsteinensis* à *Tiderico Langio*, in Encomio Saxon. vocatur *Regensteinensis*. Sed verior scriptio prior. Nomen enim accepit Comitatus ab arce primaria, quæ quòd ex puro & solido saxo habitacula omnia, cellas, stabula, magno labore & opere habeat excavata, nomen obtinuit, ut vernaculâ linguâ *Reinstein* / quasi *purus lapis* nuncuparetur, *Barbyensis* familia veteribus instrumentis scribitur nunc *Barboge*, nunc *Barbuje*. Nostri auctoris scriptionem sequitur is, quem dixi, *Tidericus Langius*. Memini ex parente meo me audire, in *Antiquitatibus monasterii Mariævalensis* à *Waltero de Barboie* ad annum M LXIV. *Walterum* ab *Arnstein* vocari patru sui filium. Ex quo is conjiciebat unam eandemq; familiam fuisse *Barbyensium & Arnsteiniorum*: quum & insignia eadem, nempe aquila, id confirmare videantur. Adscribam ex *Tiderico Langio* versus aliquòd, qui huc facere possint, quod plerosq; Comitatus & Dynastias ab auctore nostro commemoratas exprimant, nonnullasq; alias, quæ in Saxonia olim viguere, addant. Sunt autem hi sequentes:

*Barones, Comites tenet & Saxonia dices,  
Nobilitas illos magnos, ornatq; pusillos:  
Everstein, Dassel, Hardenberg, addito Plesse,  
VVoldenberg, Heimborg, Werningrod, postq; sit Hom-  
Staden, Barbuje, post Hademersleve, Hoge, (borg,  
VVants-*



*VVantsleve, Scartfelde, Blankenborg, Quereneforde,  
Mansfelt, Valkenstein, VVerberge, sive Regenstein,  
Lindauu, Scoënborg, Dannenberg, Scermbeke, VVun-*  
*Hi principantur, multis castris dominantur, (storp.  
Montibus & sita servant sua castra polita.*

145. *Stirps regalis, reges genitura*] Virgilius *Æn.* lib. IX.

*Dis genite & geniture Deos.*

146. *Pestem sublestia sparget*] Glossæ Isidori: *sublestia, infirmitas, tristitia, sublestis, infirmus, tristis.* Festus: *sublesta sunt infirma, tenuia.* Nonius; *sublestum est leve, frivolum.* Hinc Plautus *Bacchid.* actu III. sc. I. & *Perfa* act. III. sc. I. *sublestam fidem*, dixit levem, infirmam: & *Nervolaria vinum sublestissimum*; quod, ut Festus vult, vel animo vel corpore infirmos facit. *Jos. Scaliger* *Notis ad Copam* interpretatur languidum & *ἐκλελυμένον*. Addit vocem *sublestum* ad alia translata, sumi pro evanido, tenui, languido. Unde ego hic *sublestiam* interpretor inanitatem, vacuitatem, indigentiam. Ut sensus sit: in pace abundaturam copiam frugum, ab earundem verò ex bello penuriam orituram pestem. Annonæ enim indigentiam & famem consequitur pestis, dum fami solandæ homines rebus sæpe abominandis ventrem saburrant.

151. *Regis & augusti virtus quæ qualis Adolphi*] Intelligit Auctor *Adolphum Nassovium* Imp. Quia verò de hoc ut vivente & imperante loquitur, liquere inde tempus potest, quo ipse Auctor vixit. Adolphus enim ad Imperii gubernacula evectus est anno M CC XCII. vitâ verò & imperio excidit anno M CC XCIIIX. cæsus ab Alberto Austriaco.

154. *Pestis certe*] Quod Hippocrates noster, lib. de Arte, de ægrotis desperatis dicebat: Ad artem pertinere, eorum, qui à morbis sint victi, curam non attingere, quod sanare tales medicina non possit; Id liceat mihi ad hunc versiculum accommo- dare: qui adeò corruptus est totus, ut & medici manum omnē

re-



respuat, & si admitteret, decollet tamen spes restitutionis.  
 155. *Non concussere Leonem*] Hoc nominis Henrico suo dat  
 Poëtâ ob animi robur & fortitudinem, qua ab avum suum, Hen-  
 ricum Leonem æquare videbatur, de quo mox quædam dice-  
 mus.

159. *Factet magnanimo se Veronis Tiderico*] Verona nobilissima  
 & notissima Italiæ urbs auctori nostro *Veronis* dicitur, quâ licen-  
 tiâ etiam infra versu 206. *Bremam* appellavit *Bremin*. Loquitur  
 autem de *Theodorico Amalo*, Theodemiri F. Walamiri N. Gotho-  
 rum Regulo, qui Italiam ingressus, Odoacro Herulo, primo Ita-  
 liæ Rege aliquotiens victo & fugato, tandemq; interfecto, regnû  
 invasit, eiq; præfuit annis XXXIII. mensibus V. diebus XXIX. ut  
 Onuphrius Panvinius supputat. Nostratibus ab Augustali Vero-  
 na, nominatur *Dieterich von Bern* / notus etiam plebeis homini-  
 bus ex antiquis cantilenis, res ejus gestas personantibus. Vide  
 de eo prolixè Henrici Pantaleonis Prosopogr. lib. I. & confer Jos  
 Scaligerum in Castigat. ad Catullum.

161. *Ærumna fit fama pleraq; causa*] Magna nempe moliuntur,  
 ut enitantur, quos ærumna premit; hinc famam merentur.  
 Ovidius lib. VI. *Metam. fab. IIX.*

--- --- *Grande doloris*

*Ingenium est, miserisq; venit solertia rebus.*

Seneca lib. cur bon. mal. cap. V. *Ignis aurum probat, miseria fortes  
 viros.* Huc spectat illud Guntheri in *Ligurino* lib. II.

--- --- *Nulla est audacia major,*

*Quam cui materiem natura præbet egestas.*

Et quod de Cæsare Sallustius lib. de Rep. ordin. *In te præter cæ-  
 teras artes artem unam mirabilem comperi, semper tibi majorem in ad-  
 versis, quam in secundis rebus animum esse.* De Annibale Livius  
 lib. XXIX. *Ac nescio an mirabilior fuerit adversis, quam secundis re-  
 bus.* De M. Antonio Plutarchus in ejus vita. *Naturâ erat aspe-  
 ris*

ris in rebus longè solito præstantior, ac fortuna improspera pressus, germanissimus reddebatur bono viro.

178. *Sæpe rubum modicum vidi subvertere currum*] Versus est patroemiodes non inelegans, quasi dicere velit, se sæpius vidisse à parvis etiam viribus maximas accisas. Simili sensu dicitur infra versu 236.

Quodq; sit à parvis injuria sæpe repulsa.

179. *Non totiens fieri placet heriscindia mecum*] *Erciscere*, sive *heriscere*, ut illi scribunt, qui à Græco ἐρχίζω vocem deducunt, quod est intersepire, priscis erat *dividere*. Unde *judicium familiae eriscunda* apud Jctos, hoc est, rei familiaris dividundæ; & apud Ciceronem Orat. pro Cæcina, *arbiter familiae eriscunda*. Ab hoc verbo *erciscere* derivatum puto sequiori ævo *heriscindiorum* vocabulum, quo Poëta hic utitur. Voluit autem hoc dicere Henricus Mirabilis, se nolle, ut totiens fiant secum *heriscindia*, sive divisiones ditionum suarum. In ea enim pridem opinione erat, quod ab initio etiam monui, se à fratribus suis in ditionum paternarum, hæreditatisq; divisione defraudatum: nunc verò denuo irritabatur, Herlingsberga sua à Principibus & Dynastis confœderatis cedere, aut eam vendere jussus.

180. *In adversum terram pontemq; ciebo*] Ita Juno apud Virgilium Æn. lib. vii.

*Electere si nequeo superos, Acheronta movebo.*

*Accidior juste?*] Papias Glosis: *Accidiari, stomachari; unde accidia, que est tedium animi vel anxietas*. Balbus Catholico: *Accidia, tristitia, molestia, anxietas vel tedium. Accidiosus, molestus, tristis, anxius. Accidiari, tristari, anxari, vel habere tedium, indignari*. Hugutio: *Accidia, tristitia, sublestia, anxietas tedium. unde Accidiola diminutivum; & accidiosus, sublestus, tristis, anxius. Accidiari, tristari, anxari, habere tedium, vel indignari*. Glossæ Isidori: *Ægres, accidiatur*. Christ. Becmanus in Origin. L. L.

& Matth. Martinius in Lexico Etymol. à κῆδος deducunt, quod est *cura*, unde ἀκηδία Græcis. Caspar Barthius ab *acido* derivat, quod pro ingrato Latinis sumi docet. Apuleius lib. V. Metam. *inacere* dixit: *Si tibi etiam, ut par est, inacuit nostra contumelia.* Sed vide Barthium.

182. *A notis hunc quis potuit sperare dolorem*] Μίμησις Virgiliana. Ita enim Poëta Æn. lib. IV.

*Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.*

Est autem *sperare*, *timere*. Ita iterum Virgilius lib. I. Æn.

*At sperate Deos memores fandi atq; nefandi.*

Juvenalis Sat. IV.

— Jam quartanam sperantibus agris.

Jul. Firmicus lib. IIX. *Imminentium culmizum ruinas speret ac metuat.* Etiam Græcum ἐλπίζειν aliquando est in rebus malis. Thucydides in princ. histor. de belli Peloponnesiaci futura atrocitate loquens: ἐλπίζεις μέγαν τε ἔσσεσθαι καὶ ἀξιολογώτατον τῶν προγεγενημένων. *Sperans* (sive metuens) *magnum & superioribus bellis memorabilius longè futurum.* Exempla alia vide apud Valentem Guellium ad lib. IV. Æn. & in Paralipom. Item Taubmannum ad Virgilio Ceirin. Figuram Servius ἀκυρολογία vocat: quod tamen disputat Jac. Nic. Loënsis Epiphillid. lib. II. cap. XXIII.

185. *Volvitur in cælis Phæbe, Fortunaq; terris*] Non inelegans comparatio Fortunæ & Lunæ. Hinc vulgi illud: *Fortuna ut Luna*, Uti enim hæc variè & in horas crescit & decrescit, faciemq; subinde in cælo mutat: Ita hæc in terris vultu, quo nunc blanditur, mox terret. Burchardus Monachus S. Galli, lib. de Casib. Monast. sui cap. XIV. de fortuna adducit sequentes versus:

*Volvitur orbe suo Fortuna, revertitur ad se;*

*Sic stat in ambiguo quod fortius esse putatur.*

*Casibus imbutus nudus cadit & resolutus,*

*Est,*

*Est, fuit, & non est, venit, fuit, & nihil est, est.*

*Dum redit in nihilum, quod fuit ante nihil.*

188. *Talia flammato secum Dux ore volutans* ] Virgilius *Æn.* lib. I.

*Talia flammato secum Dea corde volutans.*

190. *Primates atq; Quirites* ] Principes simul & universi exercitus turbam, quam *Quiritium* nomine appellat. Quirites enim licet propriè essent cives Romani: Unde Glossarium vetus: *Quirites*, πολιτῶν Ῥωμαίων dicti à Quirino, sive Romulo, suo olim Rege; tamen & ad alios postea id nominis translatum est. Imò Virgilius lib. IV. *Georg.* *quirites* vocat apum foetus, quos Aristoteles *χαδόνες* appellat *Hist. anim.* lib. X. cap. XXII.

— — *Ipsa regem parvosq; quirites*

*Sufficiunt.*

167. *Rhene bicornis* ] Virgilius *Æn.* lib. IIX.

*Extremiq; hominum Morini, Rhenusq; bicornis.*

Dicitur autem Virgilio *Rhenus bicornis*, ut vult ibi Servius, quia per duos fluit alveos; per unum, qua Romanum imperium est; per alterum, qua interfluit *Batavos*; ubi jam *Vahal* dicitur & facit insulam *Batavorum*. Veteres enim fluvios ταυρώπας & tauriformes fingebant, ob undarum sonitum mugitui ferè similem: & κερασφόρος sive *cornigeros*, propter ostia, quib⁹ in mare se exonerant. Horatius lib. IV. Ode XIV. *Sic tauriformis volvitur Aufidus.*

Virgilius de Tyberi, *Æn.* IIX.

*Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum.*

Valerius Flaccus de Istro, lib. IIX.

*Fundere non uno tantum quem flumina cornu*

*Accipimus.*

Exit enim sex ostiis in mare, at *Rhenus* duobus.

199. *Vvesera* ] Fluvium, quem Velleius, Tacitus, Plinius, Mela, Sidonius *Visurgim* dicunt; Strabo *Βίσσργιν*, Ptolomæus *οὐί σσργιν*,

Dio οὐίσσρον; auctor noster vocat *Weseram*, sequutus Saxonicum idioma, quo vulgò die *Weser* appellatur. Poëta ἀνάγνωτος in vita Caroli M. vocat *Wifuram*: Annales Fuldenses *Wifuracham*: Wandebertus in histor. D. Bonifacii Mogunt. *Wifuracham*: Annales Francisci ad annum 1033. *Wifuracham*. Antiquitus autem Germani fluvios in genere vocabant *Aha* vel *Aa*: hodie etiam in Saxoniam inferioris quibusdam locis *Awe*. Minores autem fluvios simpliciter ita dicebant: majores, licet proprio suo nomine vocarent, illud tamen sub finem in *Aha* terminabant, ut notat Clarissimus Marcus Velferus Rer. Augustan. Vindel. lib. I.

200. *Turingi, A Socero misfi*] Henrici Morosi conjunx fuit *Agnes*, filia *Alberti*, cognomento *Degeneris*, Lantgravii Thuringia, Dynastæ terræ Pleiffensis, & *Margareta* filia *Friderici II.* Imp.

202. *Misfina mittis opem*] Sequitur hoc etiam in loco auctor idioma Saxonicum, quod appellationem veterum *Mysorum*, à quibus *CL. Reineccius* *Misnensium* originem deducit, proxime accedit.

*Ibid. Mittis licet Atsia pubem*] *Asi* vicini Saxonum nominantur ab *Aimone Monacho* lib. IV. *Hasfios* *Adamus* *Bremensis* lib. I. cap. VI. alii *Hessones* vocant. Hos intelligi hoc loco, & propter vicinitatem *Henrico Moroso* auxilia submisisse facile crediderim. Vitiosam tamen scriptionem, qua *Hasfia* dicitur *Atcia*, non auctori tribuo, sed imperito librario.

403. *Ambde porro bone, tu fundere tela, Vibrare Tu gladium*] *Virgilius* *Eccloga V.*

--- --- *boni quoniam convenimus ambo,*

*Tu calamos inflare leves, ego dicere versus,*

205 *Ovacra*] *Oucra* amnis est, sive *Oucer*, ut hodie vocamus. De ejus appellationibus aliis vide Parentem meum Notis ad *Gerhardi Stederburgensis* Historiam de *Henrico Leone*, num. IV.

209. *Waldeckæ magnæ Comes*] Intelligi autumo *Ottonem I.* Comi-

Comitem Waldeccensem, *Adolphi* filium, qui circa hoc tempus vixit, militiâ clarus & rebus gestis.

216. *Henricus, regnat qui primus Teutonicus Rex*] *Henricus Auceps* hic fuit, *Otonis Magni* Saxoniae Ducis, cujus mox mentionem faciemus, pater. Hic Imperator felicissimus fuit, & Germaniam à tributo liberavit, quod Hungari quotannis sibi petebant, cæsis ex iis XLCLV. Unde *Pater Patrie, pacis conditor, & rerum Dominus* ab exercitu est salutatus. Obiit anno D CCCC XXXVI.

217. *Ottonis III.*] Hi fuere *Otto I.*, *Otto II.*, *Otto III.*: tres continuâ serie sibi succedentes Imperatores. *Otto I.* Henrici Aucupis, quem dixi, filius fuit, *Magni* nomen adeptus ob res gestas, & ob clementiâ *Mundi amor* nominatus. Obiit anno D CCCC LXXIII. *Otto II.* primi filius, quòd Saracenos Apuliâ & Calabriâ ejecisset, *pallida Saracenorum mors* nuncupatus, obiit anno D CCCC LXXXIII. *Otto III.* secundi filius, à sapientia summa, ut *Mirabilia mundi* diceretur, obtinuit. Obiit anno post millesimum primo vel secundo. Variant enim Annales.

218. *Quattuor equivocum sibi met qui nomen habebant*] *Guntherus* Ligurini lib. I.

*Alter at equivocum sibi consimilemque Rogerum*  
*Progenit.*

*Æquivocum* scriptoribus istis est, quod Græcis est ὀμῶνυμον. Onomasticon Græcolatinum: *Æquivocum*, ὀμῶνυμον. Ita *equivocari*, est eodem nomine vocari, *Petro Blesensi* Epist. LXXVII. Utuntur voce hac eundem in modum *Widekindus*, *Luitprandus* *Cremonensis*, *Tithmarus* *Mersburgensis*, & ad unum omnes. Intelligit autem hic Auctor noster quattuor *Henricos* ejusdem nominis, tres Imperatores: ex quibus ejus nominis secundus, *Saxo-Bavarus* fuit origine, reliqui tres *Franconicæ* stirpis. Inter hunc & tertium medius fuit *Henricus Salicus*; quod notum est ex *Analibus*.

219. *Et tu Lothari*] Hic est *Lotharius Elector ac Dux Saxonie, Brunsvigæ & Luneburgi Dominus, Comes Quersfurtensis, Arnsvigensis*

*sis & Supplinburgensis*, natus anno M L XXV. electus in Imperatorem Romanum anno M C XXVII. invito Leopoldo Austriae Duce & Carolo Flandriae Comite: repugnante Friderico Suevo Coclite, & ejus fratre Conrado, quos armis represit. Literarum & disciplinarum amantissimus fuit, multaq; medicorum Arabum & Maurorum scripta in Linguam Latinam transferri curavit. Communis multorum sed falsa opinio est, etiam Jus Civile Justinianum per Wernerum quendam, sive Irnerium J.C. auctoritate jussuq; Lotharii in forum & scholas reductum. Primus errorem illum tetigit Vir CL. Frid. Lindenbrogius, Praefat. ad Cod. Legg. Antiqu. Plenius diluit Magnus Theologus Georg. Calixtus lib. de Theol. morali: penitus tandem ex animis hominum exemit nuper Hermannus Conringius, medicus & Philologus eruditissimus, mihiq; amicissimus, tractatu de Orig. Juris German. Encomiis plurimis praecclare ipsum exornant Otto Frisingensis Chron. lib. VII. cap. XX. Auctor vetus apud Abbatem Wispergensis, Petrus Diaconus apud Car. Sigonium de Regno Ital. lib. II. & alii; praeter quos vide & parentem meum in Chronico Regio-Lothariensi Germanico. Obiit anno M C XXXVII. die III. Decembris. Otto Frisingensis ait *actus ejus, ut nulla possent aboleri oblivione, in plumbeis laminis descriptos, juxta eum reconditos.* Habet eadem Aventinus Annal. Bojor. lib. VI. & Cuspinianus in Caesarib. nisi quod hic pro plumbeis tabulis inculcet aeneas. Verum falluntur omnes. In Mausoleo enim Lotharii, quod est in Lotharia Regia, cujus coenobium conditum ab ipso dixi, quum anno M DC XIIX. aperiretur, reperta fuit tantum una plumbea, cujus inscriptionem, quod alibi nondum exstet, ut ipse coram jussu parentis mei descripsi, hic subjungo.

LOTHARIVS O DI GRA O  
 ROMANORVM O IMPERA  
 TOR O AVGVSTVS O

RE.



REGNAVIT ○ ANNOS ○  
 XII ○ MENSES III ○ DI  
 ES ○ XII ○ OBIIT ○ AVTEM ○  
 II ○ NONAS ○ DECEM  
 BRIS ○ VIR ○ IN ○ XPO ○ FIDELIS  
 SIMVS ○ VERAX ○ CONSTANS ○ PA  
 CIFICVS ○ MILES ○ IMPERTERRITVS  
 REDIENS ○ AB ○ APVLIA ○ SAR  
 RACENIS ○ OCCISIS ○ ET ○ E  
 IECTIS ○

*Ibid. Tu Victor & Otto Philippi*] Hic Otto ejus nominis quartus est, Henrici Leonis filius, electus in Imp. contra Philippum Suevum, quem ad Mosellam fl. vicit. Cumq; Philippus paullo post ab Ottone Palatino occideretur, Otto filiam ejus *Beatricem* matrimonio sibi copulavit. Res gestas, variamq; fortunam prolixè descripsit Parens meus in Apologia pro ipso edita, contra Abbatem Vespergensem & alios, quem vide.

221. *Et Ducis unius virtus, quem (si modò fama Credimus) ipsa fuit feritas venerata leonum*] Intelligit Henrici Morosi abavum, Henricum Electorem & Ducem Saxoniae, potentissimum Germaniae Principem & fortissimum, cui ingens animus & facta ingentia *Leonis* nomen pepererunt. A sinu hic pene Adriatico ad sinum Codannm & Oceanum Germanicum Bojis, Suevis, Vin delicis, Noricis, Chaucis, Saxonibus imperavit. Verùm quum potentia ejus & Cæsari & Principibus suspecta fieret, Cæsaremq; vel offendisset, vel à malevolis apud ipsum calumniaretur, pro scribitur & maximâ parte ditionum exutus in Angliam exulare cogitur. Reversus demum, retento Brunsvicensi ac Luneburgeni tractu, quem posterij ejus etiam hodie tenent, obiit Brunswigæ,

wigæ, anno 1035 ætatis LXVI. Auditor noster etiam fabulam simul tangit, quæ de ipso in vulgi est ore & antiquis cantilenis. Fabulati enim fuere Henricum peregrinantem in Palæstina, offendisse in terris solis & desertis leonem dimicantem cum serpente immani, auxiliumq; ferentem leoni, serpenti caudam amputasse. Ex eo leonem comitem se præbuisse Henrico, nec discedere ab illo voluisse, dum viveret. Mortuo Leoni ab Henrico evedum leonem fusilem, qui etiamnum visitur Brunsvigæ ex adverso arcis Danckwerderodæ, quæ hodie die Burg vocatur.

226. *Qui multis errans terris & fluctibus, annis, Vidit multarum prorsus miracula rerum*] *Μίμησις* est Horatiana ex Homero desumpta. Ita enim Horatius lib. de arte Poët. de Ulyssæ:

*Qui mores hominum multorum vidit & urbes.*

Et lib. I. Epist. II. de eodem:

*Multorum providus urbes*

*Et mores hominum perspexit, & aspera multa Pertulit.*

228. *Brunonis recolit*] Ita infra versu 410.

*Dum recolit fastus illati, dumq; doloris*

*Perpesi:*

Utrobique gignendi casum verbo isti jungens, sine exemplo aliorum, quod sciam. Est autem *recolere*, reminisci. Onomasticon GræcoLatinum: *Recolo*, ἀναλογίζομαι. Marcellinus lib. XXV. *Recolerat saepe dictum Lyrici &c.* Augustinus Confession. lib. IX. cap. XI. *Ad hæc ei quid responderim, non satis recolo.* Fuit autem Bruno, cognomento Magnus Dux Saxonie II. Ludolphi filius, frater Danckwardi & Ottonis Magni. Bruno urbem condidit Brunswigam anno 1035. Danckwardus arcem in ea Danckwerderodam. De Ottone statim dicemus.

229. *Ottonis fratris, qui primus ad arcem Eligitur regni, licet illud spreverit ipse*] Otto Magnus Saxonie Dux, Brunonis, qui Brunswigam

con-

condidit & de suo nomine appellavit, frater, *Ludovico IV.* Imp. defuncto à Principibus Imperii Successor designatus est. Verùm honore suo contentus, dignitatem oblatam recusavit, prætendens oneris magnitudinem & ætatis ingravescentiam. Liberrima verò sententia Conradum Orientalis Franciæ Ducem Regem declaravit: quod senis experientissimi votum ac iudicium tantum valuit, ut qui contradiceret, inveniretur nemo. Auctor Widekindus lib. I. Gobelinus ætate VI. cap. XLVI. & alii.

231. *Hujus erat natus Henricus Teutonicus Rex*] Henricus Auceps, de quo supra, num. 216.

232. *Magnifici Ducis unius reminiscitur inde, Acre rebellantis auguste tibi Friderice*] Is fuit *Otto*, primus Dux Brunsvicensis & Lunenburgensis, *Henrici Leonis* nepos, cognomento Puer. Hic Brunsvigam, majorum suorum peculium & urbem hereditariam, à patru sui, Henrici Ducis Saxoniae & Comitis Palatini ad Rhenum genero, Hermanno Marchione Badensi, Imperatori Fridrico II. divenditum, civium Brunsvicensium, peregrinum jugum averfantium, ope & auxilio adjutus, non minus ingeniosè quàm fortiter in suam potestatem redegit. Historia est in Chronico Saxonico vernaculo & Coloniensi, item apud Crantzius in Saxonia.

235. *Principibus tribus arma moventis*] *Intelligitur Albertus Magnus, Henrici Morosi pater*, cui eo anno, quo obiit, videlicet MCC LXXIX. bellum fuit cum Archiepiscopo Magdeburgensi & Bremensi, Episcopo Hildesensi & Marchione Brandenburgensi. Rei ab aliis præteritæ memoriam conservavit Chronicon Stederburgense. Meminit & Chronicon Rithmicum MS. sed ut ab Episcopo Hildesensi, qui Alberti M. frater erat, inchoatum, illoq; eo ipso anno defuncto, à Marchione Brandenburgensi Alberto, & complicibus continuarum dicat. Sed & pro Archiepiscopo Magdeburgensi dioceseos istius tutores nominat.

239. *Pande Dei facta mens; regis mystica cela*] *Per mystica regis*, intelligit consilia & secreta, quæ non revelanda. Expressus autem est

est versus ex illo angeli Raphaëlis ad Tobiam: *Sacramentum regis abscondere bonum est; opera autem Dei revelare & confiteri, honorificum est.* Tobiaë cap. XII. vers. VII.

240. *Ecce videre datum sancto fuit Anachorita*] In voce *Anachorita* eadem licentia, qua noster peccavit Sidonius in Eucharist. ad Faust.

*Succinctos gelido libantem cespite somnos*

*Anachorita tremit.*

Fuere autem *Anachoretæ* iidem qui *Eremitæ*. Glossæ: *Ἀναχωρητῆς*, *Eremita*. Dicebantur *Anachoretæ* à secessu in loca sola & deserta; *Eremitæ*, ab eremis, sive locis ipsis & solitudinibus in quæ secedebant. Cœpere tempore persecutionum, sub Messio Decio & Gallo Valeriano Impp. annis à Christo nato plus minus CCL, ut auctor est Hieronymus in vita Paulli Eremitæ. Isidorus eos Heliam & Joannem Baptistam imitatos scribit; Cœnobitas, qui communi victu uterentur, Apostolos, Orig. lib. VII. cap. XIII. Vide de Anachoretis Centuriatores Magdeburgenses, Centur. V. cap. VI.

258. *Genimenq̄, quod illo Stipite descendit*] *Geniminis* vocabulum, quod à genitu deducitur, haud alibi, puto, usurpatum reperies, quàm apud veterem Bibliorum interpretem, qui eo utitur Jobi cap. XXXI. versu XII. Proverbiorum cap. XIX. versu XIX. & sæpe alibi.

269. *Rectoris culpâ plebs ceditur, & vice versâ*] Etiam in vulgus notum est Horatii illud Epist. lib I. ep. II.

*Quidquid delirant Reges, plectuntur Achiivi.*

Auctor verò noster non plebem tantùm puniri, si Reges peccant, sed vice versâ etiam plebis delicta in ipsos redundare Principes non veretur adserere. Et vero veriùs id profectò ita usu venit; nec aliud sacra nos docent literæ. Rex David & Propheta, dum Samuelis lib. II. cap. XXIV. populum numerat, peccat quidem & graviter punitur. At populus erat, qui prior peccarat,

rat, eiq; Deus irascebatur, atq; ideo Davidem impellebat, ut populum numeraret, velut indicat historia. Exemplo memorabili, quod saepe Deus permittat errare principes in consiliis, ut populi peccata puniantur. Simile est exemplum lib. II. Chronic. cap. XX. ubi Josias, rex piissimus bello non necessario se implicat, in eoq; perit. Causa indicatur lib. II. Regum cap. XXIII. & XXV. Deum nempe iratum fuisse populo Judæ propter peccata regnante Manasse commissa.

272. *Justorum semen quis vidit querere panem* ] Sententia est ex Psalmi XXXVII. versu XXV. *Junior sui, & non vidi justum derelictum, nec semen eius querere panem.*

273. *Arguo plerumq; quos diligo* ] Apocalypseo cap. I. I. versu XIX. *Ego quos amo, arguo & castigo.* Vide etiã Proverb. cap. I. I. versu XI. & Hebræor. cap. XII. versu VI.

*Ibid. Quosq; gravare, Hos relevare scio* ] Deuter. cap. XXXII. versu XXXIX. *Ego occidam & vivere faciam: percutiam & sanabo.* Tobia cap. XIII. versu II. *Tu flagellas & salvas.*

280. *Sibi clanculo fida pararent Auxilia* ] Latinius & usitatus est *clanculum*. Dixit tamen *clanculo* etiam Apuleius Metam. lib. X. & Macrob. Saturn. lib. V. cap. XIX.

298. *Cœnobitas ac Eremitas* ] De *Eremitis* jam ante diximus. Augustinus lib. I. de moribus Eccles. cathol. cap. XXXI. Mon. chorũ duas facit sectas, *Eremitas & Cœnobitas*. Cœnobitas ait paruisse Decanis & Patribus. Decanos denis fuisse præpositos, Patres totum coetum gubernasse, &c.

299. *Quod per Missas sibi placent* ] De *Missæ* vocabulo admodum laborant auctores, unde dictum sit. Plurimi Hebræam vocem esse contendunt, sed frustra: nec opus, ut eò recurratur. Vox est pura pura Latina. Ut enim Græci sive finita populi concione, sive peractis sacris, populum dimissuri dicebant: *λαοὶς ἀφείσιν*. Ita eodem modo Latini finitis sacris proclamabant: *I, licet*. Unde apud Christianos deinde fieri cœptum, ut quando in ecclesia dimitterentur catechumeni, qui sacramento altaris interesse



nondum poterant, diceretur: *Ite, missa est*, ut notat Isidorus Origin. lib. VI. cap. XIX. & Monachus San. Gallensis lib. I. cap. XI. Vide Joan. Guil. Stuckium, lib. de Sacrific. Gentil. Christ. Beckmanum in Origin. LL. Matth. Martinium Lexico Etymol. Quamquam autem plura olim Missæ vox ab initio significabat, obtinuit tamen deinde apud Pontificios, ut sumeretur pro sacrificio propitiatorio & expiatorio, quod Deum placatum nobis redderet ac propitium, veniamq; largiretur peccatorum, ut postea sanxit Concilium Tridentinum Sess. XXII. cap. II. Hic error autem jam tum invaluerat in ecclesia auctoris nostri ævo, qui proinde hic ait, Henricum Morosum sollicitasse monachos atq; eremitas, ut per Missas sibi placarent Deum. Tu vide de Missæ Papisticæ vi & efficacia Thomam Naogeorgum Regni Pontificii lib. III.

308. *Summa timere Deum [sapientia!]* Proverb. cap. I. vers. IX. *Timor Domini principium sapientie.* Jobi cap. XXIX. versu XXIX. *Timor Domini est ipsa sapientia.* Vide Psalmo CXII. versu IX. Loquutio auctoris est ad normam illius apud Horatium lib. I. Epist. I.

*Virtus est vitium fugere & sapientia prima  
Stultitia caruisse.*

309. *Augustine tuis, Francisceq;, Pauleq;, servis]* Intelligit tres mendicantium ordines: *Augustinianos Eremitas, Franciscanos & Dominicanos.* Eremitæ suæ sectæ conditorem volunt D. Augustinum, verone, an falso, ipsi viderint: Franciscani auspiciem habent Franciscum Assisiatem: Dominicani, sive Prædicatores, alio nomine Paullini dicti, Dominicum Calagurritanum.

312. *Semper homo pavidus est felix, estq; beatus]* Desumpsit ex Proverbiorum cap. XXIX. versu XIV. *Felix qui semper timet.* Etiam Siracides cap. XXIX. versu XXVII. *Homo sapiens in omnibus metuit.* Probus in Thrasibulo: *Mater timidi non flebit.* Timere & metuere sæpe est prudentiæ. Cicero lib. III. de Orat. ex Fennio.

*At Romanus homo, tametsi res bene gesta est, Corde suo trepidat.* Cyrus apud Xenophontem. Pædias lib. IIX. *Habui successus magnos: sed semper temperavi mihi ne fierem insolens, & ne letarer evolando.*

315. Fa-

315. *Famine tali Compellat turmas*] Vocabulum est antiquum, // *famen*, à verbo fari, & loquutionem sive sermonem notat: unde *famino, dicitur*, apud Festum. Onomasticon GræcoLatinum: *Famen*, φαμίς, βάζις. Auctor vetus, haut scio quis:

*Ne levi saltem maculare vitam  
Famine possis.*

Abbo lib. II. de obsidione Lutetiæ Parisiorum:

*Almis faminibus sospes procedit egrotus.*

Ælnothus in Vita S. Canuti in proem,

*Obstructas aperit aures & famina reddit.*

Andreas Capellanus, in Eroticis: *Præterea mendacibus non debet uti  
faminibus, sed & cavere ne sermone minus effuso utatur.* Apud Apu-  
leium est *affamen*, Metam. lib. ult. in fine. Pro *minus*, lego *nimis*.

316. *Acer eliquat ore disertus*] Persius Sat. I.

*Phyllidas, Hipsipylas, vatium & plorabile si quid,*

*Eliquat, & temero surplantat verba palato.*

Apud Persium tamen *eliquat* dicitur de eo qui liquida voce pro- //  
nunciat, aut lascivè aliquid effert. Noster de eo profert qui di-  
fertè & fluido sermone perorat. id adjecta vox *acer* notat. De-  
sumpta est metaphora à liquoribus, qui eliquari, id est, liquidio-  
res clarioresq; reddi propriè dicuntur hinc ad vocem transfer-  
tur, ut ait Anton. Fognelinus Notis ad Persium. At Filhardus Lu-  
binus ad eundem Persium translationem esse putat à sacco & colo-  
vulario, quo vinum transmissum defæcatur & liquidū redditur.  
Demum Casaubonus translata vult vocem à metallis, & id genus  
rebus, quæ naturâ suâ compacta sunt & dura, quum verò liquan-  
tur, mollescunt & corrumpuntur. Sed judicet Lector. Apud Lu-  
cretium lib. I. & III. est vox *deliquat*, pro declarat. Eâ usus etiam  
est Titinnius & Accius apud Nonium, Lexicon Græco-Latinum:  
*Deliquat*, διηθεῖ, διυλίσει, ac si dicas, transcolat, defæcat.

317. *Est inconvulsus nobis audacia murus*] Desumpsit hoc fortè  
Auctor ex Sallustio, qui ita in bello Catilinar. *Semper in prælio iis* //  
*maximū est periculum, qui maximè timent: audacia pro miro habetur.*

324. *Venit summa dies*] Hemistichion Virgilianum ex lib. II. *Æneid.*

*Venit summa dies & ineluctabile tempus.*

328. *Sed tergum danti: non convenit omnia fari*] Est ἀποσιώπησις hoc in loco, quam Cicero *reticentiam* vocat & *præcisionem*: Præcidit enim sermonem, & ad alia transit. Virgilius lib. I. *Æn.*

*Quos ego: sed motos præstat componere fluctus.*

Val. Flaccus lib. I. *Argon.*

*Illum ego: tu tantum non indignantibus undis*

*Hoc caput accipias.*

Ovid. *Epist.* XIX.

*Nos quoque; sed taceo.*

Lucianus *Κατάπλω.*

*Ὡς εἰ λαβοίμην.*

*Quos si comprehendere.*

329. *Este viri fortes, ne sitis honoris inermes*] Similis est sententia in illo HomericO *Odyss.* 4.

*Ἄλκιμοι εἰς ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων & εἰπή.*

*Fortis agas, ut te gens postera laudibus ornet.*

330. *Tu verò abscede, quisquis vis todinus esse*] *Diu* metorsit vox *todinus*, quam tamen nunc explicare conabor. *Todi* & *todelli*, sunt aves paryæ, inquit Festus, unde *todilla cruscula*, pro exilibus & tenuibus. Sed quænam hæ aves? *Lexicon Philoxeni*: *Todus*, *tudeculus*, ἐπίδακ. *Ἐπίδακ* Latinis est *Rubecula*, de qua Aristoteles lib. IX. *Hist. anim.* cap. XLIX. Huguwicio, *Lexicographus superiorum seculorum*: *Toda*, inquit, avis est, quæ non habet ossa in tibiis: quare semper est in motu: inde *todinus* dicitur ille, qui velociter cadit & moyetur ad modum *todæ*. Et *todeo*, *todes*, *todui*, vel *todi*, est moveri, cadere, & *todenius*, id est gallus. Hactenus Huguwicio. Ex quibus colligo, *todinum* ab auctore nostro intelligi eum, qui non constans est, sed lubricus, quem proinde ab exercitui suo faceffere hic jubet Henricus Morosus noster.

331. *Tresfis agaso*] *Persianum* est ex *Sat.* V. Est autem *tresfis* qui tribus assibus veneat: *Triobolaris*.



334. *Deus est, qui iudicat equum*] Psalmo VII. versu XII. *Deus iudex justus.* Homerus Βασιλαχομου.

Ἐχει θεος ἐκδικον ὄμμα.

335. *Nil facit excubitor, nisi sit custodia factor*] *Factor, est creator.* Psalmo CXXVII. *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.*

336. *Hac sic ille tenus*] Tmesis, ad imitationem Virgilii Æn. V,  
*Hac celebrata tenus magno certamina patri.*

341. *Tirones solemne creat tunc ipse novellos*] Mos fuit Principibus Germaniæ, ut prælia inituri equites crearent, quos *tirones novellos* hic vocat Auctor, quasi noviter aut recens creatos. De Alberto M. Brunsvicensium Duce, congressuro cum Alberto & Tiderico Marchionibus Misniæ, ita scribit Auctor Chronici Richmici MS.

Her machte als Ich horte /  
Viele Knaphen Ritter vor dem Strite /  
Nach Burstellichem Site.

*Id cingulum militare* qui nondum acceperant, dicebantur *servi, servientes, famuli*: Germanicè, *Knechte / Knaphen*. Post acceptam dignitatem nominabantur *milites*, Germanicè *Ritter*. Atq; hi ante centum atq; ultra annos magno numero fuerunt in plerisq; Germaniæ locis, ut diplomata indicant: Sublatâ consuetudine milites creandi, gravitati morum, disciplinæ & honestati apud ordinem equestrem multû indies decedere animadversum est. Sanè dignitate istâ ipsi quoq; Principes mañtari non aspernabantur. De eodem enim Alberto M. testatur idem Chronicon, ipsum in Angliam iter suscepisse. ut ab Henrico Rege ordinem militare sumeret, tempestate autem rejectum, eundem honorem à Marchione Brandenburgico accepisse:

Da nam der Burste hoheborn /  
Van sinem Dheime wert /  
Dem Marchreven / dat swert  
Und ward selbe Ritter an der stund.

Factum



Factum id autem est anno M C C L I V. quum annorum Albertus esset X I X. Qui verò ordinem ita acceperat, is deinceps rursus alios equites creandi nanciscebatur, modò Princeps esset. Ita enim de Alberto M. pergit Chronicon laudatum:

Do der hohe Burste clar

Un aller Tugend wol gevar /

Umphinet de ritterlichen Wapen:

Her machte Graven vnte Knapen

So Rittere uzer mazen viel. etc.

Verùm de servis, famulis, ministerialibus & militibus vide plura apud CL. Reinerum Reineccium lib. de Nobilitate, & Parentem meum Notis ad Levoldi Northovii Chronicon Comitum de Marca.

345. *Urbs est Eimbeke*] Hæc metropolis fuit, atq; etiam est hodie, Ducatus Grubenhagensis, quem possidebat Henricus Morosus; dicta à rivo, qui eam interfluit. Rivus enim nostratibus Ein beeck.

352. *Si non sint homines quid pulchri mundus haberet?*] Alludit ad originationem mundi, qui licet à pulchritudine & ornatu Græcis κόσμος, Latinis à munditie mundus dictus sit: sine homine tamen pulcher non esset, sed κόσμος άκοσμος, mundusq; immundus.

353. *Acies aurore decoræ*] Novè aurorem dixit Auctor, pro fulgore aureo: nec tamen sine exemplo aliorum, qui ad eundem modum nova nobis dedere vocabula. Ita apud Lucillum est, teste Nonio, *lymfor* à lymfa: item *pigror* & *nigror*. Apud Lucretium lib. VI. *agror* & *putror*: apud Plautum Mostell. act. III. sc. I. *claror*: apud Arnobium lib. VII. *caldor*. Ita *tuor*, *pator*, *lutor*, *fremor*, apud Apuleium, pro visu, hiatu, luteo colore & fremitu. lib. de Deo Socr. *radios omnis nostri tuoris*. Unde Glossæ Isidori: *Tuor*, *visus*: Metam. lib. I. *vulnus debiscit in profundum patorem*. Onomast. Græcolat. *Pator*, χαῦμα, sive χάσμα, ut legit Martinius Lex. Philolog. Metam. lib. IX. *Mulier lutore buxæo macièq; fœdata.*

Et

Et in Florid. *Leonum fremores.* Sic apud Cælium Aurelianum lib. III. Acut. Pass. IV. & lib. I. Tardar. passi. cap. v. est *turbor.* pro turbatione, ut ibi notamus: apud Ekkehardum Juniorem lib. de casib. monasterii S. Galli, *runcor narium.*

354. --- *Ducis vexilla, Leonis Effigie picta* ] Henrici Leonis, familiæ Ducum Brunsvicensium conditoris, avita insignia fuisse *Leonem*, Parens noster ad Bullam Andronici Imp. notavit. Cujus loco licet postmodum duobus Leopardis ab Angliæ Rege acceptis fuerit usus, tamen prisca insignia readsumpsere Leonis nepos, Otto Puer, & abnepos Albertus Pinguis, & hujus filius, Magnus, ut sigilla ipsorum adhuc hodie ostendunt. Eadem verò insignia usurpasse etiam Henricum Morosum, Alberti Pinguis fratrem, ex hoc ipso Auctoris nostri loco conjicias, dum vexilla militaria Leonis effigie conspicua fuisse scribit. Quamvis varios fuisse veteres in insignibus, & sæpe ea mutasse, idem, quem dixi, Parens meus ibi doceat, quò Lectorem remitto.

364. *Est infruniti* ] Græcis est ἀφρονία, insulsus, insipiens. Festus: *Frunisior & frunitum dixit Cato, nosq. cum adhuc dicimus infrunitum, certum est antiquos dixisse frunitum.* Lucillius Satyr. lib. XIIX. apud Nonium:

--- *Æquè fruniscor ego ac tu.*

A *fruniscor* igitur *frunitus*, ab hoc *infrunitus*, qua voce præter nostrum auctorem utitur Seneca lib. de vita beata, cap. XXIII. & lib. III. de benef. cap. XVI. Item Agellius lib. IV. cap. IX. Hugutio, Lexicographus vetus, ridiculè deducit ab *in & frumine*, quod est *pars gusturis, quâ cibus*, ut inquit, *sapit*: ut *infrunitus* sit, quasi *frumine*, id est sine sapore sapientiæ, insipiens, insulsus, indiscretus, improvidus. Lepidè simul & acutè! nisi acutius dici malis *infrunitum* à *fruno*, tanquam *sine fruno*, quod est *confectio*, quâ coria fruniuntur, ut vult Cornelius à Lapide Comment. in Ecclesiastici cap. XXXI. vers. XXIII. ubi & alias derivationes videre est.

365. Vir.

365. *Virtus cuucta domat*] Curtius lib. II. *Nihil tam altè natura constituit, quo virtus non possit eniti.* In via virtuti nulla est via, & nil mortalibus arduum est.

366. *In virtutæ mori, non mors, sed vita fit ulli*] Plautus Captivis act. III. sc. v.

*Qui per virtutem peritat, pol non interit.*

374. *Multa super populo*] Hemistichion à Virgilio lib. I. Æn.

*Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa.*  
Et lib. XII.

*Multa super gnata lacrymans, Phrygiisq; Hymenais.*

374. *Pes pede, virq; viro*] Etiam hoc desumptum à Virgilio, qui ita lib. Æn. X.

*Heret pede pes, densusq; viro vir*

Item:

*Obvius adverso occurrit, seseq; viro vir  
Contulit.*

Et lib. XI.

*Implicuere inter se acies, legitq; virum vir.*

Quomodo autem duobus hic versibus Auctor noster loquitur, eodem fere solent Poëtarum pleriq; ubi cominus pugnantes describunt milites. Homerus Iliad. E.

*ἄσπις δ' ἄσπίδ' ἔρειδε, κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνῆρ.*

*Scutum scuto haesit, galea galea, atq; viro vir.*

Euripides in Heraclid,

*τὸ δεύτερον ἢ πᾶς ἐπαλλαχθεὶς ποδῶν  
ἀνῆρ δ' ἐπ' ἀνδρὶ σᾶς ἐναρξέει μάχῃ.*

*Collatus at post est pedi pes, Et stetit*

*Contra virum vir, strenuè pugnam ciens.*

Tyrtæus Acheniensis *περὶ πολεμικῆς ἀρετῆς.*

Ka9

Καὶ πόδα παρ ποδὶ θεῖς, καὶ ἔω' ἀσπίδ' ἀσπίδ' ἐρείσας,  
 Ἐν δὲ λόφοντι λόφω, καὶ κυνέην κυνέη,  
 Καὶ σέρρον σέρρω πεπαλήμεν' ἀνδρὶ μαχέσθω.

*Jamq; pedem pede contingens, scutum quoq; scuto,  
 Et cristam crista, tum galeam galea,  
 Pectore tum pectus, aduersum pugnet in hostem.*

Farius Bibaculus:

*Pressatur pede pes, mucro mucrone, viro vir.*

Statius Thebaid. lib. IIX.

*Jam clypeus clypeis, umbone repellitur umbo,  
 Ense minax ensis, pede pes & cuspide cuspis.*

Ammianus lib. XVI. *Arma armis, corpora corporibus obrudebat. Et mox; Cominus mucro feriebat contra mucronem.* Hirtius de bello Hispan. *Hic, ut ait Ennius, pes pede premitur, armis teruntur arma.* Curtius lib. III. *Duae acies ita cohærebant, ut armis arma pulsarent, mucrones in ora dirigerent.*

391. *Sanguinis hic aliquis miserandam fundit orexin] ὄρεξις appetitio est, sive appetentia aut desiderium, interdum quarumvis rerum, sæpius cibi & potus, præcipuè apud ἰατρῶν παῖδας. Hoc in loco fundere orexin sanguinis dicuntur, qui dum in prælio occumbunt, amittunt simul appetentiam sanguinis sive siccitatem, quâ ad pugnam accedebant. Nota est historia Tomyris sive Tamyris Scytharum Reginae, quæ Cyri caput amputatum in utrem humano sanguine repletum conjiciens, Satiata, inquit, sanguine, quem sitisti, cuiusq; insatiabilis fuisti.* Justinus lib. I. cap. IIX. & alii.

392. *Comes Lippas, in pugna limine lippus, Vertit dorsa fugâ turpi.] Circa hoc tempus inter Comites Lippienses vixit Simon pater, cum filio homonymo, quorum ille anno M CC LXXX obiit. Alterutrum fuisse ex his oportet, quem Auctor fugâ ex acie se subduxisse scribit.*

397. *Hujus quis cladem noctis] Verba ipsissima ferè sunt Virgilii ex Æn. lib. II. I 2 Quis*

*Quis cladem illius noctis, quis funera fando  
Explicet, aut possit verbis equare dolorem?*

Ad eundem modum Silius Italicus lib. V.

*Quis Deus, ô Muse, paribus tot funera verbis  
Evolvât, tantisq; umbris in carmine digna  
Quis lamenta ferat?*

Et ex recentioribus Brito Philipp. lib. I.

---- Et quis ad unguem

*Omnia vel dictare queat, vel claudere metro,  
Vel mandare biblis, memori vel corde tenere?*

*Non indigna ferat istis vel Musa Maronis.*

*Theologi, cineres Troje qui vexit ad astra:*

*Vel qui supposuit Thraciam victoribus Argis,*

*Erroresq; vagos digno celebravit Ulyssis:*

*Non hic sufficeret fame Lucanus amator,*

*Aut qui tam sapido Thebaida carmine scripsit,*

*Ut queat ad plenum digno memorare relatu.*

397. *Et eis funesta repressant*] Huguwutio: A premo est presso frequentativum, & presito. Hinc noster desumpsit represso, reprimo, repello.

414. ---- *Nunc hos nunc proterit illos*] Etiam hoc hemistichium à Virgilio est, qui lib. IV. Æn. de Ascanio.

---- *Nunc hos cursu, nunc praterit illos.*

418. *Hinc exaudiri gemitus plangorq; cadentum*] Nec minus hæc sunt à Virgilio, qui Æn. lib. IV.

*Hinc exaudiri voces & verba vocantis.*

Et lib. VI.

*Hinc exaudiri gemitus, & sera sonare*

*Verbera.*

Item lib. VII.

*Hinc exaudiri gemitus iraq; leonum,*

*Vincla recusantum & sera sub nocte rudentum.*

419. ---- *Ducis ejusdem carissima conjunx*] Hæc fuit Agnes, filia Alberti Landgravii Thuringie. Vide supra ad versum 200.

430. *Languenti capite corpus caret omne vigore*] Versus est vulgat<sup>9</sup>: //

*Quum caput agrotat, cetera membra dolent.*

Elegantius Guntherus lib. VI.

--- --- *Capiti totius corporis angor*

*Condolet, uniusq; dolor transfertur in omnes.*

Chrysofostomus alicubi. κεφαλῆς κακῶς διακειμένης, μετ' αλαγχαίειν ἀνάγκη τὸ σῶμα τῆς ἀδυναμίας. *Capite malè disposito necesse est aegritudinem in corpus derivari. Et sæpè gravissimam. Ut enim in corporibus, sic in imperio, gravissimus est morbus, qui à capite diffunditur, inquit Plinius lib. IV. Epist. XXII.*

436. *Quasari potuit, mergi tua cymba nequivit*] Respexit procul dubio distichon illud, sub id tempus pervulgatum, quod Gregorium IX. Pontificem ad Fridericum II. perscripisse ferunt: //

*Niteris in cassum navem submergere Petri;*

*Fluctuat, at nunquam mergitur illa ratis.*

437. *Dignum laude virum*] Hemistichium est ab Horatio mutuatum:

*Dignum laude virum Musa vetat mori.*

439. *Est visus acies gestorum certior index*] Plautus Trucul. act. II. sc. VI.

*Pluris est oculatus testis unus, quàm auriti decem.*

Et addit rationem:

*Qui audiunt, audita dicunt: qui vident, planè sciunt.*

Vide Notas Taubmanni ad eum locum.

446. *In luctum cithara conversa redegit amarum, Cantus in gemitum*] Sententia est ex Jobi cap. XXX. versu XXXI. *Versa est in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium.*

450. *Sed licet anxietas premat atq; enargia cunctos*] ἐνάργεια, est rei evidentia, sive id quod manifestum est, & clarè patet. Derivant Grammatici ab ἐν & ἀργός, *album*: quòd alba & lucida facilius in conspectum veniant. Lexicon Cyrilli: ἐνάργης, *liquidus, evidens. ἐναργῶς evidenter.* Ait itaq; Poëta anxietatem & rei evidentiam, sive rem ipsam omnes premere. Nisi enim ita vocem hic interpreteris, haud scio quid sibi velit,

452. *Quod minimè Christus tollit, tollit crebrò fiscus*] Alludit ad illud vulgi: *Quod non capit Christus, rapit fiscus.*

456. *Præsentis vite bona fert pius atq; futura*] Respicit Paulli illud Epist. 1. ad Timoth. cap. IV. *Pietas ad omnia utilis est, habens promissionem hujus & futura vite.*

461. *Opulos vel egenos*] *Opulentos novè dixit opulos: quemadmodum versu mox sequenti tempestè, pro tempestivè. Opulens Prudentius alicubi dixit, Sallustius in Jugurtha, opulentissimus.*

467. *Jam cessodium proficientur*] *Cessodium non minus novè, quàm cætera dixit Auctor noster, pro cessatione ab odio & inclinatione ad reconciliationem animorum.*

470. *Regali matre creatus*] *Henrici Morosi mater, Alberti Magni uxor, Adheliza, sive Adelheidis, soror fuit Ottonis Marchionis Montisferratensis, quam in Anglia Albertus duxit, ubi illa apud Angliæ reginam Leonoram, suam materteram educabatur. Ob hanc verò Adelheidis cum Angliæ regina cognationem, puto ipsam hic regalem appellari.*

472. *Quando decusatur, sibi conveniunt genus & mos*] *Quid notet hic *to decusatur*, fateor me nescire. Utuntur tamen voce etiam alii, sed æquè obscuro significatu. Abbo præfat. in obsidionem Lutetiæ Parisiorum: Porro Triadi nostras credidi biblos, visu & auditu modo decusaras. Et sub finem lib. II. de obsid. Lutet.*

*Non præter chlamydem auratam cupis indufari*

*Tegmine, decusata tuos gemmis nisi Zona*

*Nulla fovet lumbos.*


Saxo Sialandicus lib. III. *Igitur complura (Othinus) feminei cultus insignia fabricatus, tandem armillam cæteris operosius expolitam, annalesq; complures, pari studio decusatos, puella præbuit.*

474. --- *Augustissime ductor*] *Scilicet exercitus. Cicero Tuscul. quæst. lib. I. Quories non modò Ductores nostri, sed universi etiam exercitus, ad non dubiam mortem concurrerunt.*

FINIS.

TIDE-





T I D E R I C I L A N G E N,  
C a n o n i c i E i m b e c e n s i s & G o s l a r i e n s i s,  
S A X O N I A.

*Mantissa vicem Herlingsberga conjuncta.*

**R**estat laudanda Saxonia magnificanda:  
A Saxo dicta, gens Saxoniae benedicta,  
Est fortis, dura, gens bellica, vix ruitura.  
Est satis ornata, virtutibus est decorata.

Non est exosus populus, neq; stans ociosus:  
Hostibus infestus semper satis atq; molestus.

Nunc, puer, ausculta: quondam posttempora multa;  
Post Trojae fatum, post bellum cotidianum,  
Tunc infinitus populus ratibus redimitus,  
Masclis ornatus, ad quævis bella paratus,  
Multi Barones de Græcis nobiliores,  
Tunc procefferunt huc navigioq; venerunt:  
Inter eos multi fuerant juvenes & adulti,  
Hi per tres stabant turmas pariter properabant,  
Romam confregit violenter prima, subegit  
Per mare quod transit, ibi tertia pars ita mansit.  
Pars Britones undam fortis petit inde secunda,  
Quos debellavit, & ibidem mox habitavit.  
Sulcatum stagnum per multa pericula magnum.  
Tertia procescit clasfis pars indeq; cescit,

Hinc

Hinc processerunt, Staden tunc applicuerunt,  
 Hinc quædam munda transitq; recentior unda  
 Quæ remanet villa conversio dicitur illa.

Tunc non absq; viro mulier venit ordine miro,  
 Græci blavotas volucres, tunc non bene notas,  
 Falcones, nifos, velut res non antea visos,  
 Huc apportabant ad terram dum properabant:  
 Currentesq; canes plures non laudis inanes,  
 Formam multorum pariter simul & Musicorum.  
 Tunc venit viola, sambucus, rotta, vigella,  
 Psalterium, cithara, lyra, tympana, tibia rara,  
 Organa dulcisona, quæ dant lætissima dona:  
 Et pariter celebrem varium cultum muliebrem  
 Huc ad duxerunt, hæc climata dum tetigerunt,  
 Gentis honoratæ viguit victoria latè,  
 Nam quoscunq; placet superant solitâ bonitate.

Quod loquor ecce patet, subdita terra jacet.  
 Postremùm terra fuit istorum sine guerrâ.  
 Græci majores statuerunt inferiores  
 Diversis villis bene quòd suffecerat illis.  
 Urbes perlatas & fossatis decoratas  
 Tandem struxerunt, munitas quas posuerunt  
 Montibus aptatas, quarum medio situatas.  
Osnik Hartonis multis habitis ibi donis  
 Servant cervinam proceres exinde ferinam,  
 Prompto porcinam, leporinam, capreolinam,  
 Montibus argentum reperitur quod fore nectum  
 Cernitur ut plumbum, si non præstat via fundum.

Absq;

Absq; labore gravi cernens hæc sæpè probavi;  
 Et pariter cuprum solet ex hoc cedere lucrum,  
 De quo ditantur, qui circum quaq; morantur:  
 Diversæ gentes hoc tollentes & habentes.

Quatuor inventa quæ sana manent elementa:

Ignis, terra, decens aër & unda recens.

Flumina diversa currunt huc undiq; versa,

Dant non exosos nobis pisces copiosos.

Sunt & piscinæ quarum numerus sine fine,

Cingitur & magnis trinis Saxonia stagnis.

Odera qualis aqua, non novit rex neq; Papa.

Ista satis munda copiosa fluit magis unda

Multùm piscosa cursu nunc impetuosa.

Moxque suum portum facit Albea Solis ad ortum:

Sic Sala perspicuum cursum deducit ad Austrum.

Solis ad occasum facit ejus Wisera casum.

Istas per mundas merces portantur in undas,

Ops foecundatur, multis lymphisq; rigatur.

Sunt ibi Salinæ, quarum numerus sine fine:

Innumeri fontes multum Sal parturientes.

Perq; plagas vehitur reliquas, ubi non reperitur,

Aër sincerus, purus simul est, & amœnus.

Aër in æstate simul est redolens ibi latè.

Est ex hoc civis ibi sanior incola quivis,

Et longæ vitæ licet hoc exponere ritè.

Sunt infinitæ volucres pennis redimitæ,

Nilque laborantes se cantibus alleviantes. //

Sunt ibi morales volucres, sunt atq; reales.

K

Restant

Restant alaudæ, quæ subsistunt sine fraude,

Perque suas notas rudes sistunt idiotas

Sunt que philomelæ jam Christi numine plenæ.

Nam volucres tales sistunt Christi moniales.

Accipitres fortes inter volucres sibi fortes

Quærunl lædendo volucres pariter capiendo

Signant raptores, qui nunc sunt deteriores:

Ni reddant prædas fines faciant sibi foedas.

Est & avis Kivit, quæ bellat quàm citò vivit,

Signans iratos homines ad bella paratos.

• Pavo protervus incedit nempe superbus,

Non est in mundo volucervolitans ut hirundo:

Signat & ignobiles homines quandoq; rebelles,

• Cras crocitat corvus, facit hoc piger & tædiosus.

• Cum moritur cygnus, cantat; facit hoc homo di-

Christo, dissolui cupiens, terrâq; resolui, (gnus

• Grus vigilat, quando lapidem gerit in pede stando:

• Dum cadit explorat tunc & suâ voce sonorat.

Signat & orantes hæc custodes vigilantes.

• Est & avis nifus, raptum dimittere visus,

Affolet hæc verè plantas de nocte fovere,

Hoc faciunt justî puncto bonitatis adusti,

Illos namq; tegunt, victu qui paupere degunt,

Est & avis prona volitans, aviumq; corona,

Dum satis expandit pennas, super æthera scandit,

Solis ad obtutus infigit lumina tutus,

Prædam diversis avibus tribuens ita sparsis

Signat doctores & quosvis nobiliores.

Fertilis & munda manet isthic terra rotunda,  
 Continuo mundæ fruges nascuntur abundè.  
 Cernitur in messe frumentum largius esse.  
 Agricultura dat centesies sua jura.  
 Agri productum tribuunt cum fœnore fructum.  
 Exstat & hîc triticû, quod non reperitur iniquum.  
 Crescit non lentè bona moxq; siligo repentè.  
 Ordea cum pisâ sunt isthic plurima visa.  
 Cum Spicâ plenâ crescens reperitur avena.  
 Sunt ibi nonnullis fabæ, melonesq; citrulli.  
 Laudibus & digna crescunt ibi plurima ligna.  
 Quædam quercina, sed in altum sæpe supina.  
 Porcis pasturas multas tribuunt ibi duras.  
 Nec non fagenâ sunt fructibus undiq; plena:  
 Quæ non obscœna sunt ligna satis abiena.  
 Lignis densata restant ibi nemora grata,  
 Ligna que structuris variis dant esse figuris.  
 Prædictis lignis componitur optimus ignis.  
 Copia lignorum reperitur ibiq; bonorum,  
 Qui comburuntur carbones inveniuntur.  
 Est ex his humo bonus ignis qui sine fumo,  
 Insuper & plura: non est ex his mihi cura.  
 Junctus Saxo Rugis Romanâ subdidit urbem,  
 In quâ bis septem regnavit Odacarus annis.  
 Tunc Longobardis allectus opem tulit idem,  
 Igniferi cunei tunc cœlo currere visi.  
 Ex tunc Italiam per plurima prælia cepit.  
 Anglia vastata fuit à Saxonibus, unde

In præsens tempus colit illam semen eorum,  
 Hoc non abscondam, quòd erat sub Carolo quondam,  
 Ipsa fitesq; data conversio tunc celebrata,  
 // Gentis hujus princeps & rex Widekindus, adinceps  
 Qui baptisatus & fide fuit roboratus.  
 Est & eo nata propago Ducum generata,  
 Carole, qui Frisones, Ligures, Italos, Aquitanos,  
 Hunnos, Illyricum vicisti tempore paruo,  
 In sex Saxones lustris vix perdomuisti.  
 Quos tu fecisti nomen cognoscere Christi  
 Non fidei verbo, sed protracto mage bello:  
 Non sine pernitie seu tristi clade tuorum,  
 Ex hoc nimirum censeris Apostolus horum.  
 Septem constituis ibi sedes munere regis.  
 Brunsvic, Saxonix, Luneborg, Pallaciiq;  
 Tunc principatus fuit horum jure vocatus,  
 Et tunc Baurorum fueratq; Ducatus eorum.  
 Principibus multis provincia fulgida nostra:  
 Ex quibus Augusti plures tibi Roma creati.  
Objicibus vastis includitur, & spaciosis  
 Limitibus, cujus etiam Westvalia pars est,  
 Rhenus ab occasu, simul Odera Solis ab ortu,  
 Oceanus Boreâ, quâ terminat Unstrot ab Austro.  
 Frugibus argento varioq; repleta metallo:  
 Terra repleta bonis, habitariq; salubris:  
 Aëre, fluminibus, bona fontibus, ac nemorosa,  
 Denique Westvalus ab origine manat eadem,  
 Jam Christo gratus conversus, morigeratus.

Cunctis

Cunctis acceptus populus non extat ineptus.  
 Est expeditus ibi clerus in arte peritus  
 Qualibet, ut scitur: apud illos ars reperitur.  
 Illic Doctores Decretorum meliores:  
 Sunt ibi legistæ multi, pariterq; Sophistæ,  
 Perque suas partes hîc septem sunt simul artes.  
 Architriclini sunt Metropoles ibi bini,  
 Ut pote Bremensis, venerandus Magdeburgensis,  
 Sunt & bissenî bonitatis numine pleni:  
 Insuper & tales sedes retinent cathedrales.  
 Divinum præstant Aaron cum cornua gestant  
 Gentes confortant, baculos, sandalia, portant.  
 Halverstadensis, Hildensemensis ut ensis,  
 Brandenburgensis, Verdensis, Lebusiensis,  
 Havelburgensis ac Mindensis, Caminensis,  
 Racenburgensis jungatur & his Lubecensis.  
 Hinc Marsburgensis scribatur, Magnipolensis.  
 Pontifices isti dominantur in grege Christi.  
 Hi sub se clerum conservant arte peritum.  
 Beda Deo gratus, venerabilis, atq; beatus,  
 Hic Saxo natus fuit, est & canonisatus:  
 Sed conversatus Anglis & ibi tumultatus:  
 Nunc apud hos dia reperitur Philosophia:  
 Subtiles divisunt Grammatici positivi.  
 Degunt claustrales sanctæ Christi moniales  
 In claustris, clausæ remanent concentibus ausæ.  
 Ordine diversæ dant Christo munera per se,  
 A dignis digna laudatur virgo benigna,

Jam non exosos multos ibi relligiosos.  
 Nigris amicti velut ordinis hi Benedicti  
 Gradu sublimi susistunt ordine primi.  
 Bernardi vita virtutibus est redimita.  
 Fratres majores sapientes atque minores,  
 Et Carmelitæ resident istic Eremitæ.  
 Hi sine fine piæ famulantur laude Mariæ.

Continet illustresque domos Saxonia plures:  
 A quibus reges noverunt condere leges  
 Justè formatas, & in omni jure probatas.  
 Ex quibus primus in scriptis, ut reperimus,  
 Floruit ut ficus rex, nomine qui Ludowicus,  
 Tunc in honore piæ fundarat templa Mariæ

Hildensem diam funditus ecclesiam,  
 Hic Caroli natus sit cum Genitore beatus  
 Hinc rex Conradus fortis fuit ut Leopardus.  
Harteburg iste construxerat, & tibi Christe  
 Ecclesiamque pio postea Valerio.

Ex tunc Henricus rexit, qui pacis amicus,  
 Virtutes cujus sunt multæ, nominis hujus  
 Qui fuerat primus in sceptris, ut reperimus,  
 // Goslere fundator civitatis atq; parator,  
 Famosum nomen multum fortitus & omen.  
 Dum confirmandus esset princeps venerandus,  
 Et sceptrum & pronam sprexit simul ipse coronã,  
 Dicens, indignum se tantum sumere signum.  
 Sueverat immensum dare tunc Germania censum,  
 Hunc perversorum rex sustulit Ungariorum.

Tunc



Tunc dedit ipse canem, censu se dixit inanem, //  
 Forsitan ingentem caudâ simul aure carentem,  
 Grex armatorum venit ex hoc Ungariorum,  
 Millia masculorum rex quinquaginta suorum  
 Secum ducebat, has ad partes veniebat,  
 Rex accersivit hos, aptos quos sibi scivit,  
 Mille quater duxit dum prima diecula luxit.  
 Haud Cæsar tristis tunc auxiliantibus istis  
 Hostes accessit, & in his magnalia gesit: //  
 Quosdam prostravit, reliquos exinde fugavit,  
 Ipsos damnavit, populi censum variavit,  
 Sic citò salvavit, terræ Pacem reparavit,  
 Hanc bene firmavit, velut exitus acta probavit,  
 Ex hinc ipsorum regem cepit Ungariorum,  
 Quem captivabat, in Werle decapitabat,  
 Rex ut complevit prius hæc in pace quievit,  
 Qui deportatus Quedlinburg est tumultatus,  
 Rexit non frustra tribus annis & tria lustra.  
 Huic conthoralis Mechtildis erat specialis, //  
 Præmonstratenles in Polde mox sapientes, //  
 Northusen pulcras statuit Kaufunga puellas.  
 Virtutum plena Quedlinburg est sub arena.  
 Otto, post Otto, regnavit tertius Otto, //  
 Sed primus Magnus dictus, qui vixit ut agnus,  
 Quas bene produxit: pius ecclesias citò struxit,  
 Magdeburgensem fundavit & Suerinensem,  
 Mira Dei gesit: Magdeburg nunc requiescit, //  
 Filius istius Rex fuit Otto pius.

Vitâ

- Vitâ privatus telo fuit ipse necatus  
 In festo Thomæ, tumulatus erat citò Romæ.  
 Tertius Otto verè qui mortuus à muliere,  
 Sanctus Barvvardus pædagogus erat sibi clarus.  
 Ipse Tiberinos populos vicitq; marinos  
 Imperio fultus, Aquis est ipse sepultus.  
 Tunc venit Henricus, Christi qui rexit amicus.  
 Vixerat hic mundè tunc conjuge cū Cunegunde,  
 Hi fuerant tanti quòd facti Postea sancti.  
 Mersborg fundabat & Bavenberg situabat.  
 Bavenberg sancti nunc ambo sunt tumulati.  
 Qui vixit mundus Conradus eratq; secundus,  
 Nominis illius rex fuit ipse pius.  
 Struxit Goslariæ pius ecclesiamq; Mariæ.  
 Conradi natus, Henricus nempe beatus,  
 Hic in honore Dei sic Simonis atq; Tadaei  
 Quàm citò produxit pius ecclesiam sibi struxit.  
 Hic rex, ô Christe, placeat tibi tertius iste.  
 Summum Pontificem Cæsar produxerat idem  
 Pontifices multos & ob hoc ætatis adultos,  
 Goslare cantarent & ut aram sanctificarent,  
 Hanc ita dilexit dum Cæsar & omnia rexit.  
 Partim Spirensi, sic partim Goslariensi,  
 Terris humatus jacet ecclesiis tumulatus.  
 Henricus quartus in morte fuit nimis artus,  
 Summo notatus banno fuit ipse ligatus,  
 Non fuit humatus quinquennis post tumulatus.  
 Henricus quintus fuerat, qui fulsit ab intus

Mulcum

Multum virtute, quia rexerat omnia tutè,  
 Hic rex edixit aulam, dum corpore vixit,  
 Multum magnatis de principibus generatis.  
 Tunc fuit occisa gens ingens Goslere visa.  
 Talis & exempli, quod sanguis ad ostia templi  
 Effluxit multus, qui postea mansit inultus.  
 Dæmon cantabat & in aëre vociferabat:  
 Cunctis hoc festum formavi cæde molestum.  
 Post hæc Luderus rexit Christicola verus,  
 Luttere qui claustrum fundans situatur ad Austrum,  
 Quò deportatus requiescit ibi tumultus.  
 Huic coæquevus regnavit postea Suevus.  
 Quidam Conrardus, qui non fuit ad bona tardus.  
 Post hæc miriticus rexit Cæsar Fridericus.  
 Hic expugnabat Mediolanum & superabat,  
 Atque Moguntinos superaverat ille vicinos.  
 Colne portati sunt reges sanctificati.  
 Hujus erat finis in partibus ultra-marinis.  
 Illic submersus in aquâ medicâ male merfus.  
 Fulserat electus Henricus postea Sextus.  
 Hic & magnifici fuerat natus Friderici.  
 De Brunsvic natus fuerat rex Otto vocatus,  
 Servivit Christo mundo dum vixit in isto.  
 Iste coronatus in Brunsvic est tumultus  
 Castrum fundabat Herlinsberg quod nominabat.  
 Ex hinc magnificus surrexerat & Fridericus.  
 Annis ter denis & binis rexit amœnis.  
 Hi prætaxati sic taliter enumerati

L

Tunc

Tunc populo grati sunt his rerris ita nati.

Ipsi per tria CCC per quinquaginta duosq;

Annos rexerunt tunc imperioq; tuerunt.

Adsit & Ernestus Dux robore fortis, honestus,

Multum magnificus, per mare mirificus.

Annis terquinis in partibus ultra marinis

Hic scrutabatur terras, populos specularur,

Ad terras versus properans venit, inde reversus

Invenit nuptam tunc sponso sic sociatam.

Qui mox subrisit, & ei sponsalia misit.

Hoc sic invento Dux agnitus estq; momento,

Brunsuic, ferocem portavit & ipse Leonem.

Barones, Comites tenet & Saxonia dites.

Nobilitas illos ornat magnosq; pusillos.

Everstein, Dasle, Hardenberg, addito Plesse,

Woldenberg, Heimborg, Wernigrod, postq; sit Hüborg

Sladem, Barbuie, post hac Hademersleve, Hoje.

Wantsleve, Scartfelde, Blankenberg & Querevorde,

Mansvelt, Valkenstein, Werberge sive Regenstein,

Lindaw, Schovvenborg, Danneberg, Schermbeke, Wun-

Hi principantur multis castris dominantur: (storp,

Montibus & sita servant sua castra polita

Fortes armigeri corpore belligeri.

Hi varias fortes armant quandoque chortes.

Urbes muratae per Saxoniam nominatae,

In queis burgenfes famosi suntq; potentes.

Brunsuicenses, Goslarienses, Magdeburgenses,

Halverstadenfes, Hamburgenses, Lubicenses,

Hilden.

Hildensemenses, Verdenses, Marcipolenses,  
 Luneburgenses, Bremenses & Caminenses,  
 Brandēburgenses, Mindenses, Quernhamelenses,  
 Angermundenses, Hallenses, Stendalienses,  
 Havelburgenses, Raceburgenses, Suerinenses,  
 Lebuffenses, Servestenses, Soltvvedelenses,  
 Marchia cum stagno sociatur munere magno.  
 Magnipolis, Reppin, Griphesvvalt, pulcraq; Stettin,  
 Staden, Sund, Wismar, Slesuick, Rostock simul & Barth,  
 Wolgast, Perleberg, Colberg, cum Cotene Stolberg,  
 Anclam, Franckenvord, cum Torglavv, Sehuse, Quern-  
 Ascherslef, Demin, Brix, Grubin, Calveq; Téplin, (vord,  
 Wernigrod, Werben, Helmstad, Coln, Berlin & Aken,  
 Bockstuden, Regismons & Stargardia, kyris,  
 Garlef, Blankenborg, Ostervvick, Cell, Quedelinborg,  
 Hannover, Grona, Dasl, Alvelt, Sarstede, Peina,  
 Eimbeke, Duderstad, Götting, Mund, Osterod, Hardex,  
 Northeim, Gandersheim, Ring, Dransfeld, Uslare, Boklé,  
 Hi modicum mœsti se conservant ut honesti.  
 Sunt mercatores, quibus attribuuntur honores:  
 Sunt pannicidæ pleni super omnia fide. //  
 Hostibus infesti sunt hi quandoq; molesti.  
 Unanimes cuncti sunt pervigiles ita juncti.  
 His Deus hoc præstat, quod eis sapientia restat.  
 Explicita Saxonia Tiderici Langen.

F I N I S.

Handwritten notes in blue ink at the top left, including a large 'A' and some illegible scribbles.

Main body of text, likely a list of names or locations, written in a medieval script. The text is oriented upside down relative to the page's binding. Legible words include: 'Hildesheim', 'Verden', 'Lüneburg', 'Bremen', 'Münster', 'Quedlinburg', 'Angermünde', 'Halle', 'Siedel', 'Havelburg', 'Raschburg', 'Sternburg', 'Lebunze', 'Seiwitz', 'Solz', 'Vedel', 'Marchis', 'Maginopolis', 'Staden', 'Wolgast', 'Paltzig', 'Colberg', 'Cormarburg', 'Anklam', 'Dachow', 'Torgau', 'Schneeberg', 'Aichstedt', 'Dachau', 'Gripin', 'Culmburg', 'Teplic', 'Wernigerode', 'Helmstedt', 'Bretzen', 'Aken', 'Bocklitz', 'Reginon', 'Sargsdorf', 'Graf', 'Blakenburg', 'Ostervick', 'Cell', 'Quedlinburg', 'Hannover', 'Grona', 'Dassel', 'Safed', 'Einsiedel', 'Duderstadt', 'Götting', 'Münden', 'Hildesheim', 'Gandersheim', 'Ring', 'Dassel', 'Hildesheim', 'Bokle', 'Hinc dicitur', 'Sunt mercatores', 'Sunt pannicida', 'Hostibus infesti', 'Glanime', 'Hic Deus hoc praestitit', 'Explicit Saxonia', 'F I N I S'.

F I N I S

Handwritten notes in blue ink at the bottom right, including a large 'A' and some illegible scribbles.



Pou Th 3126, QK

ULB Halle

3

001 859 03X







QK. 3, 5.  
H. III, 5.

HERI

Poëmatio

Mirabilem, l  
genfem, ac  
ob

*Ante annos p  
non ineleg*

JOA

Typis Jo

II n  
3126

RGGA:

ENRICUM

Lunæbur-  
s gesto

ia barbarie  
um,

II:

rum,

22

1124

